Laodicæ in Syria celebratur insuper egregius Christi Con-
A fessor THEODOTUS Medicus expertissimus, quia à corporali ad animarum medicinam translatus fuit.

SS. VIRGINES, ET VIDUÆ.

Fuit Constantinopoli NICARETE Virgo, quæ in pauperum usus quævis remedia præparabat, quibus plurimorum infirmitatibus medebatur. *Sozom. l.8. c.23.*

S. ELIZABETH vidua, R. Hungariæ F. pietatis operibus assiduè intenta, ægrorum curam sedulò gessit, iisque suis manibus ministravit, unde & Xenodochiorum patrona, & fundatrix habetur.

Avari.

Utinam magis frequentia veterum quàm recentiorum essent exempla. An fortè accipiendi assuetudo avaros reddere solet, per se alioqui libera les futuros medicos.

Ambitiosi.

Medici sophistæ morbum per se levem, φθογγώδεις faciunt apud Hip. periculo fingendo magnum. In eandem sententiam Mimnermus ait:

οἷα δὴ φιλοῦσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν.
τὰ φαῦλα μείζω καὶ τὰ δεινὰ ἰσχὺν φόβου,
πυρέσσοντες αὐτοὺς.

Sicut medici solent dicere, leves affectus majores, & gravio-
B res, quàm timendum sit, ut seipsos extollant.

Perfidi.

☞ *Consule Tit. Veneficorum.*

PROFESSIONIS HUC MEDICI

Sacerdotes.

Olenis hymni vetusti in Delo cantantur, dum cinis, qui est supra sepulchrum Opis (quæ Hecaerges dicitur) super ægrotos à Sacerdotibus inspergitur. *Pausan. in Phocicis.*

Monachi.

ÆGIDIUS Athenienſis Græcus medicus, & philosophus, mox D. Benedicti religionem professus, sub Tiberio II. anno Chr. 700. multa scripta posteritati reliquit. Ut de Pulsibus librum unum. Item de Venenis unum. Vulneratus à venatore sagitta, noluit vulnus sanari, ut assiduis dolotibus exercereturr. *Bergomensis, & Volat. l.21. & Vincent. l.23.*

* BERNARDINUS quoque, qui ex Ord. Minorum Italiam verbo, & exemplo illustravit, antequam Religionis habitum amplecteretur, Senis medicinam exercuit grassante epidimiæ lue. *Ex Anton. Suarnerii comment. de reb. gest. SS. Bergomatum.*

CONSTANTINUS Afer, patria Carthaginensis, Babylone
C disciplinis Chaldæorum, Arabum, Persarum, Ægyptiorum, & Indorum perceptis, ann. 39. peregrinationis in patriam rediit: Metuens autem suorum insidias in Italiam trajecit: & monachus Cassinensis factus, ex diversis gentium linguis transtulit complura opera artis medicæ. *Chronicum Cassinense l.3. c.34.*

JOAN. DAMASCENUS, monachus Benedictinus, sub Anastasio II. Pontifice, an. Sal. 484. in theologia, & medicina quædam scripsit.

TRUSIANUS Florentinus, Thaddæi Florentini discipulus, cùm videret infelicitatem suam in medica praxi, Carthusiensis monachus factus, in Artem medicinalem Galeni plusquam commentum edidit.

☞ *Vide suprà Confessores.*

Milites.

MACHAON Æsculapii filius medicus, bello Trojano militavit. Per Equum ligneum capta urbe, in quo etiam ipse latuerat noctu, cæsus est. *Thessal. in legat.*

Cùm, Duce Nicia, & Alcibiade, Athenienses Siciliam invaderent, & de medico, qui exercitum sequeretur in con-
D cione disputatio esset instituta: HIPPOCRATES Cous filium suum Thessalum privatis sumptibus Athenienſium valetudinis curam habere, & simul cum illis militare voluit. *Thessal. in legatione sua.*

PROCOPIUS Cæsariensis, in Belisarii castris medicinam exercuit, ejusque res gestas contra Gothos, & Vandalos scripsit *Sab. l.3. En.8.*

VITOLEUS quidam, Haraldi I. Danorum Regis miles, in castris majore ætatis parte consumpta, tandem in Helsingiæ Provinciæ solitudinem cæso à fratre Haraldo concesserat, ibique rusticæ vitæ cultu consueta militiæ studia relaxabat. Qui, quòd hostilibus sæpe telis petitus fuerat, non infimam medendi peritiam assidua vulnerum suorum curatione contraxerat. Si quis operam ejus blandimentis exposceret, eum medelæ loco lædere solebat: sin verò minis, fidelem operam præstabat. Ad eum Haldanus Haraldi F. ab Erico Sueonum Rege acie E victus saucius confugerat. Vitolfus ergo Erici milites Haldano imminentes ita videndi officio spoliavit, ut propinquas ædes nec prospectu capere, nec certis possent vestigiis indagare *Saxo l.7.*

Oeconomi.

M. CATO Græcorum odio, artem quoque medicam, quam illi profitebantur, odio habuit. Cæterùm quia usum medicinæ magnum esse videbat, & non modo politiæ, verùm etiam quæ illius basis est œconomiæ pernecessarium, non peculiari alicui artifici, sed uniciuique œconomo hanc curam convenire asseruit, non minus de remediis ægrotæ, quam de alimentis sanæ familiæ prospicere. Cæterum multò rectiùs Aristoteles patrisfamilias ne χυτραποιοῦσι quidem, nedum ἰατρικῷ convenire existimant exercendi, sed exercentes tantum hortandi, & instruendi causa.

Gymnastæ.

THEON Alexandrin. ex gymnaste per ὁ ζωμάδων medicus, rudis tamen, & ineptus. Scripsit librum de Exercitationibus, cujus meminit. *Gal. l.2. & 3. de San. tuenda.*

SEXUS. HUC

Mulieres Medicæ. F

HADINGUS Danorum Rex, cùm gigantem quendam Nitherorum Regis Haquini filiam Regnildam ambire animadverteret, in Norvegiam profectus, tam fœdum Regiæ virginis amatorem oppressit. Ipsa dum gratitudinis ergo vulneribus Hadingi medetur, crus ejus annulo vulneri incluso obsignatum reliquit. Postmodum à patre eligendi mariti libertate donata, inter multos procos Hadingum latentis annuli indicio deprehensum in conjugem assumpsit. *Saxo l.1.*

DIGNITATIS. MEDICI

Pontifices, Cardinales, Episcopi.

* Meminit *Martyrol. Rom. 26. Septem.* S. EUSEBII, Episcopi & Confessoris, qui summi Pontificatus apicem, Marcello succedens, tenuit. Fuisse autem Medicum si non professione, scientia tamen, & patre medico ortum, constat ex vita ejusdem, & Pontificali, quod Damaso tribuitur. *Molan. in Diar. Eccles. Med.*

PETRUS ULYXIPONENSIS, Episcopus Tusculanus, Pontifex factus, Joann. XXII. dictus est. Hic in medicina fuit doctissimus, ita ut Canones quosdam, & Problemata scripserit, & Thesaurum pauperum. Ruina cubiculi Viterbii perit. *Platina, & Tarapha de regib. Hispaniæ.* G

JOAN. STALLOPER medicus, puella sibi desponsata cùm onera matrimonii anxiè perpenderet, professionem canonicorum regularium suscepit: inde ad Episcopatum Raceburgensem provectus est. *Crantz. l.12. Metrop. c.10.*

HENRICUS BOCHOLT, plebeja origine, ex medica arte multùm auri conquisivit. Decanus Lubecensis Ecclesiæ factus, inde etiam præpositus: tandem Episcopus. Confirmatus à capitulo Bremensi, & de ejusdem mandato consecratus, sexaginta marcas persolvit Capitulo. Jam cùm in Ecclesia sua primitias peragaret, ad duarum marcarum millia sumptus fecit. Archiepiscop. Bremensis tum in Galliis agens, apud summum Pontificem Joann. XXII. evocavit ad judicium Henricum, quòd confirmationem non à se, sed à Capitulo accepisset. Lis in septennium protenditur. Septem aureorum millia fertur impendisse Henricus, priusquam efficeret, ut approbaret summus Pontifex, quæcunque à se in spiritualibus, & temporalibus essent gesta, an. 1324. Ecclesiam maximis redditibus auxit, ut aurifodinas videretur proprias habere. Sed parsimonia vectigal magnum. *Crantzius l.9. Metrop. c.13.* H

LUDOVICUS PATAVINUS (mediarotæ cognomine, cùm à Venetis in patriciorum ordinem cooptatus esset, assumpto: aliis Scarampa dictus, quòd Scarampam familiam hæredem fecerit) obscuris natalibus ortus, philosophiæ, & medicinæ operam dedit in patria (Fulgosus chirurgum fuisse ait) Romæ arma tractare cœpit: isque brevi se nobilitatus est, ut ab Eugenio IV. in Jo. Vitellii locum pontificiis copiis præficeretur. Auxilio missus Florentinis, Nic. Piciniunum Philippi Vicecomitis polemarchum ad Anglariam magno prælio vicit. Eo nomine Cardinalatus dignitatem promeruit, nutuque suo omnia administravit. Patriarchatum Aquilejensem quoque adeptus est, Sub Calixto III. exercitu contra Turcas præfectus, eos ad Belgradum profligravit: classe Rhodiis suppetias tulit, insulas hostibus complures eripuit. Sed morte Calixti soluta classe, hostibus

hostibus exacerbatis, Græciam in maximo discrimine re-
A linquens, Romam rediit. Campum Floræ lapidibus stravit. Basilicam S. Laurentii ædificavit, Sabellum oppidum monasterio ornavit, aquæductus instauravit. Romæ obiit anno 1465. Thesauros ex rapinis bellicis immensos comparavit. Supellectilem preciosissimam duobus familiaribus suis Scarampis reliquit. Paulus II. testamento ob defectum solemnitatum revocato, thesauros in suam redegit potestatem, partemque iisdem concessit. Prædia supra quinque millia jugerum Andreæ, & Francisco ab Arena dictis, huic nepoti, illi fratri, legavit: qui opes in hon estissimè prodegerunt, adeò ut Franciscus pronepos Patavii in Xenodochio publico annis confectus miserrimè vitam finierit. *Bern. Scardeon. l.3. c.6. hist. Patavinæ.*

Reges, Principes, Duces.

SISYPHUS idem esse veteribus videtur, qui & Theosophos: siquidem Deos in Peloponneso Sius dicunt, & lingua Æolica σοφὸς dicitur sapiens, communi lingua σοφὸς. Fuit autem Corinthiorum Rex, & Asopo fluvio indicavit Æginam filiam à Jove raptam. Jupiter iratus, mortem indici immisit. At Sisyphus mortem robustis vinculis ligavit, adeò ut nemo tunc mortalium moreretur amplius, donec Mars morte liberavit. Ex hac fabula videtur Sisyphus Me-
B dicinæ studiosus fuisse, ut vetusti Reges plerique, & pestilentiam fortassis à Jove immissam arte sua curasse, ita ut nulli ampliùs mortales ea perierint, quo ad pestem secuta sunt bella. *Eustat. Iliad. ζ.* Fortè verò, & Acesodyna excogitavit primus, id est, dolorem sedantia, ac morborum antipala, ut Græci dicunt, quia ægritudinibus obluctentur. *Cæl. l.24. c.35. A. L.*

Scribit Plutarchus fortissimum heroum HERCULEM medicinæ peritum fuisse. Itaque quod apud Euripidem legitur de Alcestide, quam, cùm mortem pro viro suo Admeto obiisset, Hercules cum ipsa Morte luctatus, per vim ei eripuisse, & vivam ad Admetum reduxisse narravit: ita intelligendum esse: cùm Alcestis ita graviter ægrotaret, ut deposita jam, & desperata esset, venisse Herculem, & medendi arte, qua excellebat, ei valetudinem pristinam reddidisse, Admeto ea in re gratificatum. *Muretus Var. lect. l.8. c.23.*

CRISÆI circa Delphos habitantes, ob latrocinia, & templi Delphici spoliationem ab Amphictyonibus bello petiti obsidebantur. Cùm autem pestilentia exercitum invasisset, victores fore respondit Deus, si in Co insulam profecti, ἰάσασθαι αὐτὸν χρυσῷ adducerent in auxilium, cervi filium
C cum Auro. Coi legatos benignè audiverunt, cæterùm oraculi mentem non sunt assecuti. Surrexit ergo Nebrus medicus, genere Asclepiades: is, quòd cervorum hinnuli Νεβροὶ vocarentur, domique filium χρυσὸν haberet, oraculum ad se pertinere censuit. Itaque pentecotoro instructa suo sumptum, Amphictyonibus suppetias tulit. Confestim autem pestilentia remisit, veluti placato Deo. Cumque equus pulsato solo ungula aquæductum detexisset, Nebrus pharmacis aquam corrupit, sic ut dysenteria Crisæi perirent. Oppugnationem inde aggressi, cum Chrysus muros primus conscendisset, urbs capta est. Amphictyones Apollini templum Delphicum consecrarunt, cum tota regione Crisæorum, & Chrysum, qui de muro deturbatus perierat, in circo equestri sepelierunt, & Delphis publicè parentarunt, & Asclepiadis in Co insula vaticinandi primas partes, sicuti Hieromnemonibus cæteris, concesserunt. *Thessal. in orat. quam habuit in legatione sua.*

HADRIANUS Imp. medicinæ studiosissimus fuit, & fortasse plus satis. Proinde sepulchro suo inscribi voluit, Turba medicorum perdidit Cæsarem.

DIONYSIUS tyrannus Siculus medicinæ navabat operam, &
D ipse curationes, sectiones, ustiones, & reliqua faciebat. *Ælt. l.11. d. Varia historia.*

MITHRIDATES Ponti Rex in reliqua ingenii magnitudine medicinæ peculiariter curiosus, & ab hominibus subjectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum, & exemplaria, effectusque in arcanis suis reliquit. Cn. Pompejus eo devicto omni regia præda potitus, transferre ea sermone Latino libertum suum Lenæum, grammaticæ artis doctissimum, jussit: vitæque ita profuit non minus quàm Reipublicæ victoria illa. *Plin. l.25. c.2.* In sanctuariis ejus invenit in peculiari commentatio ipsius manu compositionem antidoti Mithridaticæ dictæ, è duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & ruptæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano: ei, qui hoc jejunus sumat, nullum venenum nociturum illo die. *Idem l.24. c.8.* Cujus certè antidoti beneficio etiam tum, cùm à filio Pharnace obsessus, venenum assumpsisset, mori non potuit, sed à milite se occidi curavit. *Galen. in libro de usu Theriacæ, c.6. Orosius l.6. Serapion. l.7. Fract. c.8.* E

CONSTANTINUS IV. Pogonatus, Imperator Constantinopolitanus, post devictos Saracenos, & Arabes, Philosophiæ, & rhetorices studia renovavit, agriculturæ compendium collegit, & medicinam summo studio amplexus est.

JOSINA Scotorum Rex medicos coluit, atque chirurgos, cùm quibus in Hibernia puer fuerat educatus, herbarum vires (quibus solis eo temporis Scotis in morbis, vulneribusque medendis utebantur) pulchrè callens. *H. Boetb. l.2.*

LIBERTATIS. MEDICI

Servi.

Medici olim Servi, unde iis à patronis imperabatur. Hinc l. 26. §. de oper lib. Medicus libertus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent (hoc est, pharmaca pararent) multò plures imperantes sibi habiturum, postulabat ut sequerentur se, neque opus facerent.

Plato in libris de Republ. alios Medicos facit liberos, alios servos.

Medicus Ægyptius ocularius ad Cyrum ab Amasi missus, F auctor fuit Cambysi Ægypti occupandæ. *Herodot.*

DEMOCEDES Calliphontis filius, qui fuit Æsculapii sacerdos Cnidi, Crotoniates, in Ægina medicinam fecit, Polydocratem Sami tyrannum mercede duorum talentorum curavit: à Rege Dario accersitus, diu cum illo fuit. Librum scripsit medicum. *Suidas. Herodotus in Thalia* Taliphoutis Crotoniensium principis medicum fuisse scribit, à Dario Rege duobus aureorum compedum paribus donatum; tacita servitutis exaggeratione.

Bello civili Domitius Corfinii à Cæsare obsessus, desperata salute à Servo medico venenum poposcit. Ille pro veneno somniferum dedit: & sic herum, qui, accepta Cæsaris erga victos clementia, vitæ se cupidiss. ostendebat, imprudentem prudens servavit. *Plut. in Cæsare.*

EUDOCIUS medicus, auctor Bagaudæ servilis belli sub Valentiniano III. ad Hunnos aufugit. *Aventinus l.2. Annal. Bojorum.*

TEMPORIS.

Sic Medici, in Veteres, & Recentiores dividi possunt.

LOCI, PATRIÆ.

Medici Græcos, & Barbaros distingui possunt. Græci in Coos, Gnidios, Rhodios. Barbari in Assyrios, Ægyptios, Arabes, Thraces, & similes. De quibus aliquando ex professo. Bern. Scardeonus l.2. hist. Patavinæ, classe 9. Medicos Patavinos omnium ætatum recenset. G Q

Medici Ægyptii secundùm receptam, & traditam ab antiquis artem primo triduo mederi cogebantur. Eo si non cederet morbus, liberum erat medico ingenio uti, & nova remedia adhibere. *Arist. l.3. Polit.*

Indorum medici possunt & fœcundos facere, & marium & feminarum pocreationem per medicamenta præstare. Medicinam plurimùm per cibos perficitur, non autem per medicamenta. Ex medicamentis maximè unctiones probantur, & cataplasmata: cætera maleficii non esse expertia judicantur. *Strabo l.15.*

MEDICORUM MINISTRI. HORUM

ALII MEDICAMENTA.

LEGUNT, ACQUIRUNT.

Romani Imp. Antonini imprimis, multos herbarios in Creta aluerunt, quorum cura Romam quotannis herbæ omnis generis ad usum medicum in viminibus, quæ idcircò Textilia vocabant, perveherentur. *Gal. l.1. de Antid. c.2.* H

PRÆPARANT. PHARMACOPOEI.

Facere medicinam propriè Pharmacopolæ dicuntur, quorum etiam tabernæ Romæ Medicinæ (ut ex Plauto constat) appellabantur. Hotoman. de Verbis Juris. Minus propriè verò Medico medentes, medicinam dicuntur facere, voce præparationis instrumentorum ad eorundem usum translata. Veteres certè medici, quod ex Hipp. & Galeno, & Græcis posterioribus satis apparet, ipsi suis manibus medicamenta componebant, & potissimùm, quorum, ut in agenda magna erat efficacia, sic magnam in præparando diligentiam requirebant. Et si enim opera hæc mechanica, & à medici dignitate aliena esse videtur: at hæc ipsa submissio, & humilitas pro salute ægrorum suscepta. Medicum neutiquam dedecet, non

cet, non magis, quàm urinarum inspectio, & stercorum exploratio, & similia alia. Pessimè verò illi de Re meriti sunt, qui primi pharmacopejam à Medicina avulsere, & dum otio suo plus satis indulgent, arma medica servis, & ministris majorem quæstui sui quàm salutis ægrorum, & eximationis medici rationem habentibus, præparanda, custodiendaque commisere: quorum deinde, vel avaritia, vel improbitate factum est, ut medicamenta nobilissima, quapropter evidentem successum θεῶν χάριν appellarunt veteres, vel prostituta indoctissimis, audacissimisque Empiricis communicarentur, vel corrupta, & vitiata auctoritatem suam amitterent.

De ARISTOTELE Epicurus hæc dixit, in Epistola de studiis, quòd patrimonio absumpto ad malitiam accesserit, posteà ad vendenda pharmaca conversus sit, hinc ad philosophiam. Hæc solus Epicurus contra ipsum dicere ausus est, quæ neque Eubulides, nec Cephisodorus ausi sunt, quamvis commentaria contra eum ediderint. *Athen. lib. 8. cap. 8.*

Philon Tarsensis medicus, cùm medicamenta quædam ad medendi usum exquisitissima concinnaret, & regias quasdam Alexipharmacas potestates, ea Deorum manus appellabat, veluti divinas, & salutares. *Cælius lib. 16. cap. 10. ex Galeno.*

MEDICI VETERINARII.

CHRISON Saturni F. primus artem medendi herbariam invenit: & Veterinarium opus conscripsit. Qua de causa Centaurus appellatus est. *Suidas.*

ASTRAMPSYCHUS Veterinarius librum medicum de asinorum curatione scripsit, & somniorum interpretationem.

Suidas.

In multo medicum quendam Sosandum extat carmen *in 4. Epigrammat.* ex nominum etymo capto joco, cùm Hippocrates Equorum domitorem, Sosander Virorum conservatorem significet:

Ἱππῆρ μερόπων ἱππόκρατες, ἀλλὰ τὸ ἵππον
Σώσανδρε, κρυφίης ἔσορ ἀκτορίης.
ἢ πάντῃ μετάμειψον, ἢ ἔνιμα μὴ ἢ καλέεσθαι
ἄτορος ἐκ τέχνης, ἢν ἔτορος κρατέῃς.

ABSYRTUS, Prusaensis, & Nicomediensis miles, qui sub Imper. Constantino in Scythia juxta Istrum militavit, Medicinam equorum scripsit, & physicum librum de Veterinis. Scripsit & Cimon Atheniensis præclarum librum de Inspectione equorum. *Suidas*

ANDROPUS servus à Domino suo in desertum Africæ fugiens, in antrum quoddam se abdidit. In quod cùm paulò post leo pede saucius venisset voce querula, ille conspicatus in pede leonis confixam grandem spinam, qua ratione potuit, evulsit. Ob quod beneficium per triennium integrum etiam à leone Androdus in deserto alitus fuit, meliori semper prædæ parte illi à leone impertita. Longoque post tempore, cùm Androdus damnatus esset, ut in theatro cum leone dimicaret, fortè huic eidem leoni expositus fuit, qui non tantùm nihil sævi in eum molitus fuit: sed & veteris consuetudinis, & beneficii memor, ei blanditus pepercit. *Gellius ex Appione Polyhistore.*

HEROPHILUS veterinarius, se C. Marii F. fingens, ità se extulit, ut cum coloniæ veteranorum complures, & municipia splendida, collegiaque ferè omnia adoptarent. At posteà Cæsaris viribus urbe pulsus fuit, & cùm Cæsare interfecto, reversus in urbe, Senatus interficiendi consilium cepisset, jussu patrum in carcere necatus fuit. *Val. Max. l. 9. c. 16.*

MEDICA EXERCITATIO BONA.

MEDICAMENTA INVENIENDO, DOCENDO.

ÆSCHINES Atheniensis ex crematorum hominum cinere anginis medebatur, & tonsillis, uvisque, & carcinomatis. Hoc medicamentum vocabat Botryon. *Plin. l. 28. c. 4.*

CHERIAS Atheniensis apud Plinium testis est, radicem cardui ex aqua decocta potatoribus sitim facere, stomachum corroborare: & vulvis aliquid conferre, ut mares gignantur.

CHRYSERMUS bulbi radice in vino decocta parotidas curabat.

LYCUS Neapolitan. atripleciem contra cantharidas bibendum censet. *apud Plin. c. 20. l. 20.*

ARTEMON calua interfecti, igneque cremati, propinavit aquam è fonte, noctu, comitialibus morbis. *Plin. l. 1. c. 28.*

CLEOPHANTUS Asclepiade prior fuit *teste Plin. & Celso l. 3. c. 14.* Hic vini rationem illustravit, & semen pastinacæ erraticæ dysentericis prodesse docuit.

Castor medicus docuit Piperitim herbam (quam alii Siliquastrum vocant) bibi contra morbos comitiales. *Plin. l. 20.* Idem scripsit, succum radicis ferularum, oculorum claritati multum conferre.

ÆSCHRION Pergamenus Empiricus, præceptor Galeni, ex fluviatilium cancrorum cinere medicamentum iis, qui à cane rabido morsi essent, parabat. *Gal. l. 3. de Simp. med.*

MITRIDATES Ponti Rex, summa diligentia ab hominibus sibi subjectis herbarum vires requisivit, & in scriniis fideis recondidit. Quibus potitus Cn. Pompejus Magn. experimenta ea Pompejo Lenzo libero suo, grammatico doctissimo, in Latinam linguam transferenda dedit. *Plin. lib. 25. cap. 2. & Gall. lib. 17. cap. 16.*

COGNOSCENDO, PRÆDICENDO.

ACHILLES à Chirone educatus, in arte etiam medica institutus, ab Homero Iliados α introducitur primus de pestilentiæ, quæ Græcos affligebat, causis disputans, & non naturalem, sed divinam causam esse asserens, quæ nullis remediis, sed pace tantùm Apollinis implorata mitigari posset, τῷ γὰρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε δεώκικκαλλον ἄρη, hoc ex ipsius aeris constitutione, & Solis pallore cognoverat. *Eustachius.*

PHILOTIMUS medicus, cùm quidam suppuratus peteret, ut medicinam sibi adversùs reduviam faceret: advertens ex colore, & spiratione ejus valetudinem: Non laboras, bone vir, inquit, reduvia. *Plut. de Aud. & de Discognoscend. adult.*

PAUSANIAS apud Æginenses, Achajæ scribit, templum esse Cereris, ac fontem proximum, in quem Ægri post peracta sacra despectante morbi, valetudinisque exitum vident. *Lud. Vives in l. 6. August. de Civit. Dei, c. 35.*

DIONE obsidente Dionysium in arce Syracusana, Sosis quidam, ut odium conflaret apud Syracusanos Dioni, novacula seipsum capite læsit, posteà procurrens in forum exclamavit, injuriam istam sibi à Dionis servis illatam, quòd pridie quædam liberiùs in eum protulisset. Cætertùm rem penitus indagantibus Syracusanis, Medici vulnus inspexerunt, & dolum deprehenderunt. Quippe inflicta gladio vulnera semper sunt in medio profundiora: at Sosis erat undequaque exile vulnus, & multa habebat initia: quòd per dolorem ut videtur, remisisset plagam, mox iterùm repetisset. Huic accessit, quòd novacula in concionem allata fuit à familiaribus, qua seipsum vulneraverat. Pressus etiam testimonio servorum, qui cùm multa nocte dicebant egressum domum novaculam manu tenentem, à populo rei capitalis damnatus fuit. *Plutarch. in Dione.*

ERASISTRATUS medicus, Antiocho Roge ægro, manu admota, ex palpitatione, quoties Stratonicem novercam fortuitò prætereuntem videret, amorem deprehendit. *Suidas.*

LUPUS Macedo, veluti oracula ex adytis proferre videbatur, eaque gravitate omnibus se admirabilem faciebat. *Gal. l. 1. de facult. nat.*

Facilius infervis, quam in liberis tollitur hydros: quia cùm desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius iis succurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. Sed ne ii quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideòque non ignobilis medicus Chryppi Discipulus, apud Antigonum Regem amicum quendam ejus, notæ intemperantiæ, mediocriter, eo morbo implicitum, negavit posse sanari. Cùmque alter medicus Epirotes Philippus eum se sanaturum pollicertur, respondit, Illum non ad morbum ægri respicere, sed ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cùm summa diligentia non medici tantùmmodò, sed etiam regis custoditetur, tamen malagmata sua devorando, bibendoque suam urinam, in exitium se præcipitavit. Inter initia tamen non difficillima curatio est, si imperata sunt corpori, quies, sitis, inedia: at si malum inveteraverit, non sine magna molestia discutitur, Methrodorum tamen Epicuri discipulum referunt, cùm hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret necessariam sitim, ubi diù abstinuerat, bibere solitum, deinde evomere. *Corn. Celsus l. 3. de Re med. c. 21.*

GALENUS prima statim usitatione, omnia febrium genera (quotidianam, tertianam, quartanam, semitertianam, causam) mirè discernebat: sicut & alios affectus plerumque primo die: sic & hecticam febrim incipientem unà cum putrida agnovit, & aliquando ex solo colore locum in visceribus affectum deprehendit. Denique semper summo studio in curando simul, & præsagiendo se exercuit: tantumque profecit, ut aliqui eum vatem esse dicerent, tanquam divinatrice arte, non medicinæ scientia, futura prædiceret. Boethii viri consularis, & Philosophi Romani filius Cyrillus puer etiamnum à morbo convalescens, recidivam passus erat: deinde sola febri denuò feriebat. Galenus ad eum vocatus, cùm ex pulsu febrem abesse, commotionem tamen, & gravedinem, nullo præcedente motu, adesse deprehenderet, pronunciavit puerum eiàm aliquid concedere. Negantibus verò, & matre, & astantibus, Boethi us excuti jussit lectulum, totumque adeò cubile. Tandem ex velo muliebri, quòd sellæ impositum jacebat, commoto, panis frustum excidit, & præcognitionem Galeni admirabilem fecit Boethio, cæterisque. Romæ ad Justi uxorem vocatus, que absque manifesta occasione consumebatur, ex pulsu (qui subitò ad nomen ejus, quem amabat, auditum, variis modis agitabatur, & subsultabat, quod & aliàs perturbati animi indicium est, vultus, ac faciei color ad ejusdem nomen immutabatur) eam non modò amare, sed quem deperiret etiam, miro quodam artificio deprehendit. Pari industria divitis cujusdam Procuratorem non ex morbo, sed metu, quòd rationem reddere non posset, contabescere agnovit. Ad Siculum medicum ægrotantem à Glauco philosopho deductus, qui suum ipse morbum ignorabat, hepaticum esse deprehendit, his argumentis. In primo statim aditu obviàm venit quidam, pelvim è cubiculo efferens, quæ tenuem cruoris saniem continebat, carnium nuper mactatarum ablutione haud absimilem, evidens affecti jecinoris argumentum. In pulsu verò inflammationis indicium, & juxta fenestram hyssopum ex aqua mulsa decoctum animadvertit: unde cogitavit medico pleuritidis suspicionem obortam, dolore videlicet nothas costas infestante, qualis jecinoris quoque inflammationibus accidere quandoque consuevit. Erat autem & respiratio parva, crebraque, & exigua tussi infestabatur: ubi verò magnam respirationem traheret, dolor in jecoris regione vehementius cruciabat, sentiebatque in dextro hypochondrio gravitatem, & jugula ad inferiora detractionem: quæ quidem omnia Galenus per se & observavit, & prædixit, magna Glauconis, & ægri admiratione. Sextus, Imperatoris M. Antonini filius, in morbum inciderat acutum, adeò ut septimum diem evadere non posset, quin judicaretur. Id eventurum quarto die Galenus cognovit, prædixitque septimo, vel sexta die prorsus judicatum iri: quòd si sexto judicaretur, reversurum: sin septimo, integram tum solutionem fore, eamque per sudorem. Advenit autem indicatio die sexto, & quanquam post id tempus ipse Sextus, ut Galeni prædictionem redargueret, & febris non rediret, exquisita victus ratione uteretur, die tertiodecimo tamen iterùm febrire cœpit. Cùm rursum vocatus Galenus, post tres dies eam febrim, quæ satis magna iterùm esset futura, defituram, atque septimo decimo die à primo decubitu judicationem facturam, prædixit: & rursus die quintodecimo sententiam suam rogatus, in eadem permanere se respondit: hoc etiam addens, septimodecimo die adveniente sudorem hora secunda noctis erumpere incepturum. Cùm reversus ex bello Germanico M. Antonius Imp. crederet se aliquando febrire, nec minus medici, qui peregrinationis ejus comites fuerant, Galenus jussus arteriam contingere, dixit, se febrim nullam percipere, sed potius à cibo assumpto, & æstuante, ejus ventriculum opprimi. Id quod mox Imperator ipse, ter ita rem se habere repetens, confirmavit: sentire enim se cibo frigido gravari. Ventriculum igitur fovens nardino unguento purpurea lana excepto, calido, bibensque Sabinum vinum cum pipere, quemadmodum Galenus suaserat, minimo negotio fuit restitutus: unde Galenum posteà magnopere commendare non desistebat, cum Medicum præstantissimum esse, ac tum virum ingenuum, tum summum philosophum prædicans. *Com. de Præcogn. ad Posthumum testis ipsemet.*

Rex ARACAM sic experitur uxoris futuræ temperamentum. Duodecim virgines lectas, annos totidem natas, quot illæ sunt, lotas gossypino indui jubet panno. Tum ad meridiem usque sub sole morari in summa ædium area incrustata. Ubi defudarunt (quòd cùm facilè, tum vehementer sit) odor cujusque indumenti exploratur. Quarum malè olet, suis eas nuptui dat: benè olentium sibi retinet. Ne fallatur: patris, ac matris nomen vestibus inscribitur, *Jul. Cæs. Scaliger de Subtilitate, Exerc. 189.*

JOANNINUS SANGUINACIUS, medicus Patavinus, doctrina, & experientia medendi cunctos medicos longè excelluit, ut nec inspecta urina, nec exploratis priùs brachiorum arteriis, ex solo aspectu vultus, & genus, & tempus, & paroxysmum morborum divinaret. Petro Aponensi æqualis, & ejusdem ferè fati. Etenim hæreseos, ac magiæ accusatus, Romamque ad causam dicendam pertractus, cùm se purgare sufficienter non valeret, in Melitam insulam, in exilium perpetuum relegatus est. *Bern. Scardeon. l. 2. classe 8. hist. Pat.*

MEDENDO, CURANDO.

Consule Tit. Morborum curatorum. Illic Sanitatis restitutæ ratio habetur, hic verò Artis.

ACHILLES Chironis discipulus, Telephum Regem Mysorum, hastæ, qua vulneraverat illum, ærugine, oraculi jussu, sanavit. *Eustath. Iliad. α. & Strabo l. 1.*

De ÆSCULAPIO, qui artem à Magnete, sive Chirone Centauro didicerat, scribit *Pindar. Ode. 3. Pythiorum.*

οἳς μὲν ἄν, ἔοντι μόλον, αὐτοφύτων
ἑλκέων ξυνάονας, ἢ πολιῶ
χαλκῷ μέλη πεπτωμένα,
ἢ χερμάδι πυλαβόλῳ,
ἢ δορυξῷ πυρί περ
θέμεναι δέμας, ἢ
χαιμῶνι, λύσαις ἄλγεα ἐλ-
λείων ἀχέων
ἔξαν μὲν οἳς μὲν μαλακαῖς
ἐπῳδαῖς αἰμάφαρον
οἳς ἢ προσαυλία τί-
νοντας, ἢ γόοις παρμάσσων πάντοθεν
φάρμακα, οἳς δὲ τομαῖς ἔστασιν ὀρθάς,

Quotquot venerunt suapte sponte subnatis ulceribus infecti, aut fulgido ære membra vulnerati, aut lapide eminus acto, aut æximo igni perditi corpus, aut frigore, liberando alium ex aliis mœroribus eduxit: hos quidem, mollibus incantationibus medicinam adhibens: illos autem mansuetas, & lenes (potiones) bibentes, aut membris adjungens undique pharmaca, alios quoque sectionibus sanitati restituit. Eum proinde Homerus in hymnis, χάρμα μέγ' ἀνθρώποισι κακῶν δηλητῆρ' ὀδυνάων, vocat.

ALCESTIM perhibent ab Hercule, artis medicæ perito, cùm illa deplorata valetudine esset, quò gratificaretur Admeto, fuisse conservatam, qui eam mulierem amabat, & amasius fuerat hujus. Itaque Apollinem fabulantur, Mercede Admeto magnum servisse per annum. *Plut. Serm. Amatorio.*

Ægyptii medici ægros secundùm legem curant, ab antiquis medicis, comprobatisque scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri secutus, infirmum sanare nequivetit, omni caret crimine. Si præter ea, quæ libris continentur, illum curaverit, morte punitur: credidit enim legislator, ea medendi cura, quæ plurimo tempore ab optimis medicis observata, profectaque sit, haud facilè meliorem reperiri posse. *Diod. l. 1. c. 6. Arist. in 3. Polit.* primo triduo secundùm normam curare solitos scribit. Eo exacto, licuisse liberè unumquemque suo judicio, & experimento niti.

HIPPOCRATES medicus in magna pestilentia, non unum ægrum, sed multa oppida, scientia servavit. *Varro l. 1. c. 4.*

ACRONEM Agrigentinum ferunt medicum, Athenis sub magnam pestilentiam, quòd accendi apud ægrotos ignem præscripsisset, inclaruisse. *Plut. de Iside.*

PHOCUS Ornitionis F. Sisyphi nepos Anthiopen Lyci uxorem, mente captam, isaniæ morbo liberavit, & uxorem duxit. *Paus. in Bœotiis.*

ERIBOTES, Teleontis filius, Oilei vulnus à Stymphalidibus illatum sanavit. *Orpheus in Argonauticis.*

DARIUS Rex in venatu cùm ex equo desluisset, graviter distorsit pedem, ut talus è junctis emoveretur. Itaque medicos Ægyptios, quos se præstantissimos habere secum putabat, adhibuit. Qui cùm pedem torquerent, malum exasperabant. Die demùm octavo, Regi præstantia Democedis Crotoniatæ Sardibus captivi medici indicatur. Adductum Darius rogat, utrùm artem nosset? Negat ille: veritus, ne prorsus Græcia sibi carendum esset. Verùm cùm Darius flagra, & stimulos proferri jussisset: se quidem non accuratè scire autem, sed medici usum consuetudine: medicinam utcunque tenere dixit. Post, permissu Regis Græcè locutus, remediis efficacibus adhibitis, & somnum ei conciliavit, & sanitatem brevi tempore restituit, desperanti jam pedis integritatem. Idem Atossam Cyri filiam Darii uxorem ulcus in mamma habentem curavit: obtestatus, ut sibi vicissim operam navaret in eo quod peteret. Petiit autem reditum in Græciam. *Suid. ex l. 3. Herodoti.*

CRITOBULO medico singularem peperit laudem sagitta ex oculo Philippi Macedonis, citra oris deformitatem, evulsa, De

De quo abundè *Curtius* meminit *l.8. de gestis Alex. Plin. l.7.* A *cap.37.*

M. Varro, cùm Corcyræ esset exercitus, ac Classis, & omnes domus repletæ essent ægrotis, ac funeribus, immisso fenestris novis Aquilone, & obstructis pestilentibus, januaque permutata, cæteraque ejus generis diligentia suos comites, ac familiam incolumes reduxit. *Varro l.3. c.4.*

Cassius ingeniosissimus seculi sui medicus, febricitanti quidam, & magna siti affecto, cùm post ebrietatem eum premi cœpisse cognosceret, aquam frigidam ingessit, Qua ille epota, cùm vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno, & sudore discussit. *Celsus l.1. de Re medica.*

Damocritus in valetudine Considiæ, M. Servilii consularis filiæ, omnem curationem austeram recusatis, diu efficaciter usus est lacte caprarum, quas lentisco pascebat. *Plin. l.24. c.7.*

Galenus, cùm vulnerum nervorum curationem primùm excogitasset, visum est Pergameno Pontifici, gladiatorum curationem ei soli committere, quamvis juveni adhuc. Cùm autem prioribus medicis multi antecà periissent, illi ne unus quidem sive è nervorum, sive vulnere alio mortuus unquam est. Itaque succedentes etiam aliquot Pontifices, gladiatores curandos illi tradiderunt. Idem Romæ Eudemum Peripateticum, laborantem quartana triplici, ob intempestivè admi- B nistratam theriacam, (unde febris simplex primum duplicata est, deinde etiam triplicata) jam ingravescentem ætate, ac media hyeme desperatum à cæteris, tempestivo usu ejusdem antidoti adhibito, restituit: prædixitque eventura omnia, quo feliciet die quæque è tribus febribus abitura esset, crisis tempus, & modum, morbique solutionem: id quod nomen illius existimationemque per totam urbem, plurimùm auxit. *Gal. de præcogn. ad Posthumum c.2.* Juveni, statim primo die, quo fuit accersitus, prædixit, quartanæ febris insultum esse: & in curationem susceptum persanavit, morbi solutionem præfatus. Accitus itidem è Posthumo, familiarem Charilampi cubicularii, nervo vulnerato laborantem, curavit: quem nemo medicorum, qui Imperatoris aulam frequentabant, ad sanitatem revocare potuerat. Post hunc, Demadem rhetorem: cujus morbum celebres quique aulæ medici ne cognoverant quidem.

Branca Siculus Cataneus chirurgus, ac physicus eximius suo ingenio, & arte aures, nasos, & labra, quibus cæsa fuerant, instaurabat. Hujus discipulus fuit Balthasar Pavonus Siculus. *Gilb. Cogn. l.3. Narrat.*

Scipio Lancelotus medicus, Pontificem Julium II. angu- C gusti spiritus doloribus ita oppressum, ut per aliquot horas pro mortuo haberetur, stomachi vitio prostratum, & alimenta repudiantem, oblato persico pomo, ad certam vitæ spem feliciter erexit. *Jovius in Pompejo Columna.*

Est Magnetis genus quoddam, quo illita acus vel ensis, citra omnem dolorem vulnus facit. Ejus rei periculum in seipso se fecisse *Cardanus* testatur *l.7. de subtilitate.* Addit & illud, Alexandrum quemdam Veronensem circumforancum, pueros servosque suos absque sensu, gladiis hoc lapide perfrictis vulneratos noctu, mox coram populo oleo olivarum, cui sarcocollam permiscuerat, vel rhus, vel aloen, en simplex oleum esse videretur, infuso, maximum fecisse quæstum, quòd plebs oleo tantas inesse vires crederet: cùm id tamen ex natura vulneris esset, quod hac ratione inflictum per se etiam coit, oleo nihil vel parum conferent.

MEDICA EXERCITATIO MALA.

Inepta, Infelix.

Medicos malos hic eos intelligimus, non qui ὑδιωῶς mali sunt, atque perfidi, ægros data opera suis necantes pharma- D *cis, quorum exempla ad Titulum Veneficorum pertinent, sed θεωρικῶς, hoc est, qui propter artis imperitiam, vel saltem ineptam in adhibendis quantumvis opportunis remediis peccant: modò absque periculo ægrorum. De quibus sic Plinius l.29. c.1. in hac sola artium evenit, ut cuicumque medicum se profitenti, statim credatur: cum sit periculum in nullo mendacio majus. non tamen illud intuemur: adeò blanda est spirandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex: quæ puniat inscitiam capitallem: nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum, hominem occidisse, summa impunitas est. Hæc ille. Quæ quidem si de indoctis dicantur, ut verissima sunt, ita summam magistratus socordiam, & negligentiam arguunt, qui cùm temeritatem improborum coercere posset, impunè eos in capita hominum grassari sinit, hoc solo titulo munitos quod medici sint, quasi verò sola professio medicum faciat, & operatio ipsa. Si verò de omnibus medicis, etiam de doctis probisque intelligantur, ut falsissima sunt (neque* E *enim bonus medicus unquam hominem occidit, utinec bonus Princeps Rempublicam damno unquam afficiet) ita medicorum probitatem magis commendant, quibus cùm Artæ necissque hominum libera potestas data sit, maluit tamen plurimos servare, quam vel precio vel odio inducti, ægros è medio tollere.*

COGNOSCENDO, PRÆDICENDO

In Soclem medicum *Nicarch. in 2. Epigram.*

Ὀρθῶσαι τὸν κυρτὸν ὑποσχόμενος ἐδόθρωσε
σωκλῆς, κυφοπαίδας τρεῖς ἀπέδωκε κύφους
ἢ κυρτῷ σιβαρὸς ἐπὶ τοῖς ῥάχιν. ἀλλὰ πεθεὶς,
τοῖσδεκεν, γίγνου δ' ὀρθότερος κατόπιν.

Eumonus medicus in prognostico ineptus, ab Ausonio sic celebratur:

Languentem è populo moriturum dixerat ægrum
Eunomus: evasit fati ope, non medici.
Paulò post ipsum videt, aut vidisse putavit
Pallentem, & multa mortis in effigie:
Quis tu? Cajus, ait, Vivisne? Hoc abnuit. At quid
Nunc agis hic? Jussu Ducis, ait, venio,
Ut quia notitiam rerumque hominumque tenerem,
Acciperem medicos. Eunomus obriguit.
Cum Cajus, Metuas nihil, Eunome. Dixi ego, & omnes, F
Nullum, qui saperet dicere te medicum.

Josephus medicus Hebræus Basilio Magno ægrotanti eo die mortem prædixerat. Cui Basilius: Quid si & alterum diem supervixero? Se ille tunc Christianum fore, si id contigisset, respondit. Igitur Basilius, salutis proximi cupidus, orando à Domino impetravit exitus dilationem: maneque hora tertia sanus de lectulo consurgens, ad Ecclesiam venit, ac Judæum tanto miraculo stupentem baptizavit: quem sæpe anteà testimoniis convictum Scripturarum flectere nequiverat *Marul. l.2. c.7.*

Medicus indoctus, cùm infimos adhibito discipulo visitaret; tangens (ut moris est) pulsum, si quem contractiorem solito sensisset, culpam in ægrotum conferebat, asserens eum quid à se prohibiturum comedisse. Quod cùm sæpissimè faterentur ægri, Discipulus rogavit medicum, quonam modo hoc deprehenderet? Tum ille, Cùm pervenio in cubiculum ægroti, ait, circumspicio in primis diligenter, si quid reliquiarum in pavimento supersit, veluti si castaneæ, aut ficus corticem, vel nucis testam, aut pomorum frusta, aut aliud quippiam viderim, conjector infirmum tale quid comedisse. Haud multò post discipulus, & ipse quoque cura medendi suscepta, sæpiùs eo- G dem modo ægros accusabat. At rusticum hominem accessit, cui cùm valetudinem pristinam se evestigiò restituturum promisisset, & reversus graviùs laborantem videret, causam nesciens, cùm huc, atque illuc flexisset oculos, nullasque reliquias vidisset, æstuans animo, tandem sub lectulo aselli clitellas conspexit. Tum clamare cœpit evestigiò tandem se percipere, cur deteriùs haberet, & mirari illum minimè mortuum esse: aselum quippe ægrum devorasse, relictis clitellis. In stultitia sua deprehensus domo ridiculus, multis risum excitavit.

Zerbus, medicus Italum, cùm accitus grandi pecunia penetrasset ad Triballos, ut Scanderbassam, recenti, & luctuosa in Euganeos irruptione clarissimum, intercutis morbo liberaret: nec demùm, quod inflatè promiserat, morienti præstaret: à Barbari servis interfectus est. Scilicet ut qui malè secando cadavera multos discipulorum seduxerat, ipse vivus secaretur, & ignorantiæ simul, ac avaritiæ suæ pœnas lueret. *Jovius in elogio Turriani.*

Quidam medicum agens, consultus de eo, qui adversa laborabat valetudine, fortè fortuna conspexit asinum alterius H surgentem à lapsu, simulque audivit alium dicentem: Vide quo pacto asinus tuus surrexit. Id omnis arripiens ille, qua & asinus avis esset, & augurii nonnihil haberet, protinus respondit, fore ut valetudinarius ille revalesceret. *Gilbert. Cogn. l.1. Narrat.*

Petrus Leonius in prædicendo ex astris falsus. ☞ *Vide Titul. Astrologorum.*

In Medicum quendam sic ludit nonnemo.

Cùm indicasset Medicus ægrotum suum
Esse moriturum post duos, aut tres dies,
Obvvit ipse mortem post dies duos,
At æger hosce convalescit post dies,
Ut mortis hujus nuncium quidam audiit,
Et meritò, ait: nam litteræ monent sacræ,
Ne judicaris, judicere ne simul.

Indo

Indorum Medici herbæ cujusdam fumo inebriati, sive A sensus impotes facti, mille de deorum consilio nugas referunt, & tum ter quaterve corpus ægri volvunt, manibusqs fricant. Os interim ore tenent, quod muliercula, tanquam reliquias, conservat. Interrogati de morbo, læta respondent omnia. Si secus evenit, in promptu est excusatio, lethalem fuisse Consuetos hosce ritus neglexisse, capitale. Apud nonnullos iidem sunt medici, qui sacerdotes. *Jo. Metellus.*

MEDENDO.

Ad Trojana usque tempora perexigua fuit medicorum peritia, quando vel Æsculapii filii, Podalirius & Machaon, Eurypylo vulnerato farinam, & tritum caseum mulierem commiscentem, potumque præbentem cum vino Pramnio, non reprehendunt, ut ait Plato in tertio de Republ. cùm illa omnia maximè inflammare vulnus, at non sedare dolores possent. *Natalis Comes Mythol. lib.4. cap.11.* Cæterùm *Plutarch. in Homero* factum excusat, quòd in heroico corpore, robusto, & valido, nullis pravis humoribus infecto, nullum inflammationis periculum foret.

Diogenes videns Quendam medendi artem jam profitentem, qui priùs fuerat palæstrites, sed ignavus: dixit, illi, An eos, qui te hactenus dejecerunt, nunc vicissim B deiicies? Deiicit luctator, quem superat: & deiicit medicus, quos in lectum conicit, aut etiam in Sepulchrum. Senfit autem Diogenes, illum tam malum esse medicum, quàm fuerat ignavus palæstrites. Similis jocus est apud Martialem, de eo, qui ex medico factus hoplomachus, non aliud faceret hoplomachus, quàm quod fecerat medicus. *Laert. lib.6.*

Acesilas quidam medicus imperitus, quidam pedum dolore laboranti mederi volens, auxit dolorem. Itaque in proverbio abiit, Ἀκεσίλας ἰάσατο, Acesia medicatus est, de re, quæ semper vergit in deterius, quoque magis curatur, hoc pejus habet. *Ex Diogeniano Erasmus.*

Nicocles, cùm malus quidam medicus diceret, se magnam habere potestatem, Quidni, inquit, ista dicere liceat, qui tam multos impunè sustuleris? *Maximus serm.50.*

Stratonicus ad Medicum quendam dixisse fertur: Laudo tuam experientiam, quia non finis infirmos computrescere, sed statim eos liberas. *Antonius in Melissa par.1. serm.56.* Sed Hoc Nicocli adscribit. *Maxim. serm.50.*

Hadrianus Imperator moriens, dixit illud vulgatum: Tur- C ba Medicorum Cæsarem perdidit. Arbitror illum huc detorsisse Græcum proverbium: πολλοὶ ἰατροὶ καρίαν ἀπώλεσαν, πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὴν βασιλῆ ἀπώλεσαν. *Dion. Cassius.*

Manes hæreticus, filium Regis Persarum ægrotum, curaturum pollicitus, magica arte malè succedente, pharmaco interfecit. Igitur vivus arundine excoriatus est.

In Phidonem *Nicarchus.*

Οὐτ' ἔκλυσεν φείδων μ', οὐδ' ἤμαυσ' ἀλλὰ πυρίζας
ἠμιθίλιν αὐτῷ σ' ἔνοχα, κρείσσων.

In Græcis Epigrammatis de Niceta hæc scribuntur:

Νικήτας ἀδῶν ἅμ' ὠδῶν ἐστιν ἀπόλων,
αὖ ἢ ἰατρεύων ἅμ' θεραπευομένων.

Apollo ἀπὸ τῆς ἀπολλύειν nomen trahit. Hinc occasione homonymiæ non excellentia in canendo, & medendo, sed perniciosa taxatur ignorantia.

In Dionem medicum imperitum sic ludit *Lucilius in secundo Epigrammatum:*

Πρὶν σ' ἰκαλεῖ Μαῖδας, δαιμόσρατος χαῖρ' ἱερὸν φῶς.
ἀπὸ πάλαι ὄψις ἐκεῖνος ὀνόμ' δίων.
D ἢ μόνον ἰατρίσκων ὀλυμπικῶν, ἀλλὰ δ' αὐτῷ
ἐκόνος ἢν ἀγχυνὰ βλεφαρ' ἐξέβικεν.

In Appionem *Nicarchus secundo Epigrammatum:*

Χειραργῶν ἰατρῶν ἀκεστορίδων ἀγέλασσε.
ζῶν γὰρ χωλαίνων, φησὶν, ἡμεῖς πάλαι.

In Alexim *Nicarchus:*

Πέντ' ἰατρὸς ἀλέξις ἅμ' ἔλυσε, πέντ' ἐκάθηρε,
πέντ' ἴδεν ἀλφώτους, πέντ' ἐνέμισε πάλαι.
ἢ πᾶσιν μία πῦξ ἢν φάρμακον, εἰς σοροπηγὸς,
ἐς πόδ, ἐς αἶδης ἐς κοπανὸς γίγνον.

In Agidem *ibidem:*

Ἀγὶς ἀριστογόρου ὅτ' ἔκλυσεν, ὅτ' ἔθυ' αὐτῷ,
ἀλλ' ὅσον ἐσῖῖλθεν, κρῆχετ' ἀριστογόρου.
πᾶ πάλαι ἀκόνιον ἔχει φύσιν ἢ ὦ σοροπηγαὶ,
ἀγὼ ἢ μύτραις βοῖλεστε, ἢ σεφάνοις.

De Cratea *ibidem:*

Ἰητρὸς κρατέας, ἢ δάμας ὑσφικτὴς
καυλῶ ἀθήλοις δίνῳ σωφωνεῖῶν.
ἢ ῥ ὁ μὲν, ὃς. κλεπτόσκεν ἀπ' ὑκαρίων πολαμῶνας, B
εἰσεπιδεσμένεν πέμπεντέκρ κρατέα.
τὸν δ' ἀπαμαιβόμενος κρατεκς, ὅσον πεφιέζεν
πίμπεν ὦλας αὖσν τὸν θεραπευομένος.

Æschines Chius empiricus, qui multos vel solo adspectu peremerat, Eunapium sophistam, qui Athenas studiorum causa venerat, morti jam vicinum, instrumentis quibusdam diducto oris hiatu medicamentum infundens, vitæ restituit. Subitò enim soluta est alvus, & æger loqui cœpit. Hoc uno facto superiora errata omnia obliteravit. *Eunap. in Proæresio.*

Medicus quidam glandem puero familiaribus rogantibus, ut apponeret, præcepit, ut ex stercore conficeretur murium. Quo dicto omnes, qui audiverant, in risum soluti, quòd cùm tot essent, quæ apposita sedi ad excretionem excitarent intestinum, ille omnibus præteritis ad murium confugisset sterqus, nam reverà pudendum est alia etiam experiri velle, cùm omnes ceu curiosum, & præstigiatorem condemnent eum, qui talia faciat, aut dicat. *Galen. lib.10. de Simp. med. facult.*

Medici Valentiniani I. Imp. omnes ad exercitum pestilentia laborantem dimissi, cùm is Sabariæ apoplexia corriperetur, nulli adfuere, qui venam incederent. Cùm ad pestilentiæ mor- F bo tentatum militem hinc inde dimissi essent: Unus tandem inventus, venam ejus sæpius pungens, ne guttam quidem sanguinis elicere potuit. *Marcellin. lib.30.*

Medicus imperitus, & infelix filium suum disciplinæ commiserat Agathiæ Grammatici, In eum sic ludit *Agathias in secundo Epigrammatum:*

Ἰητὴς τὸν ἢ ἐὸν φίλον ὧν ἔπεμψεν,
ὡς τὸ μαθεῖν παρ' ἡμοῖ πάσαι τὰ γραμματικά.
ὡς ἢ τὸ μωῶν ἄκεῖε ἢ ἄλγεα μυρὶ ἔδηκεν
ἔγνω, ἢ τὸ τρίπον τοῖς δ' ἀκόλωθον ἔπος,
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς αἶδι προέπεμψεν,
ὃν ἔτι μὲν πέμπει πρὸς με μαθησόμενον.
ἀλλὰ μ' ἰδὼν ὁ πατὴρ, σοὶ μὲν χάρις ἔπεν ἑταῖρε,
αὐτὰρ ὁ παῖς παρ' ἡμοῖ πάσαι μαθεῖν διώκεται.
ἢ γὰρ ἐγὼ πολλὰς ψυχὰς αἶδι προέπεμπε,
ἢ πρὸς τοῦτ' οὐδὲν γραμμαικὴ δέομαι.

In malum Medicum, *Martialis Epigram. lib.8.*

Hoplomachus nunc est, fuerat Ophthalmicus ante:
Fecisti Medicus, quod facis Hoplomachus.

Hermocrates medicus ignavus, & indoctus, tantæ infelicitatis, ut vel per somnium conspectus interficere crederetur. G *Mart. lib.6. Epigram.*

Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit, & idem
Inventus manè est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

De Hermogene simile quid *Lucillius:*

Ἑρμογένη ἢ ἰατρὸν ἰδὼν δύφωνος ἐν ὕπνοις,
ἐκ τῦ ἀστράβδυ κὲ περίαμα φέρων.

In eundem *idem* sic lusit:

Ἑρμογένη ἢ ἰατρὸν ὁ ἀστρόλογος δύφωνος
ἔπτα μόνος ζωῆς ἐννέα μοῖρες ἔχων.
κακείνος γελάσας, ἢ μὲν ὁ κρόνος ἐννέα μωῶν
φησ' κόγεα, σὺ νέω, σὴμὲ δὲ σῶσαμὲ σοι.
ἔπτα ἢ ἐκτείνας μόνον ἤμαρ, ἢ δύφωνος.
ἄλλον ἀπολαβὼν, αὐτὸς ἀπωσαμένοισιν,

Convertit hæc Ausonius, sed Alconi tribuit, inquiens:

Languenti Marco dixit Diodorus haruspex,
Ad vitam non plus sex superesse dies.
Sed medicus divis, fatisque potentior Alcon H
Falsum convicit illicò haruspicium,
Tractavitque manum, victuri, ni tetigisset:
Illicò nam Marco sex periere dies.

Medicus quidam pleuritico lenticulam ex aceto confectam exhibuit in morbi declinatione, qui nihil aliud, quàm coctorum expuitionem desiderabat. Æger sequenti nocte suffocatus est. *Galen. lib. de Vict. rat. in acutis, Com.1. Aphor.27.*

Medicus quidam cum tribus quartanis correpto theriacam ante morbi vigorem dedisset, auctis omnibus accidentibus, cum febris continua successisset, hominem peremit. *Aetius Tetrab.2. ser.1. cap.84.*

Marci medici imperium hyperbolicè inspectatur Lucilius quæ *Ausonius* in Alconem transtulit:

ἢ λίδινα δόε ἐχῆς ὁ κλωσὸς ἢ μακρὸς,
ἢ λίθος ὧν κῇ ζεὺς, σημεῖον ἐφέρετα.

Alcon hesterno signum Jovis attigit : ille,
A *Quamvis marmoreus, vim patitur medici.*
Ecce hodie jussus transferri ex æde vetusta,
Effertur, quamvis sit Deus, atque lapis.

QUINTUS PERGAMUS medicus Romæ à prandio divitem ægrum visitabat. Æger capitis dolore laborans: vini odorem, quem medicus benè potus expirabat, non ferens, modestè illum de hoc admonuit. Tum ille, Odorem vini ab homine sano ægrè ferre noli, quandoquidem neque ego febricitantis tui odorem aversor. *Galenus lib. 6. Epidem. com. 4. aphorismo 9.*

De Diaulo Medico *Martialis Epigram. lib. 1.*

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus,
Cœpit, quo poterat, Clinicus esse, modo.

Aliud de eodem habetur supra,

Hebræus quidam ex Arabia se adventasse, & ante alios medicinæ scientiam in oculis curandis tenere jactans, cura sua Regem Boemiæ Joannem monoculum planè cæcum effecit. Rex ad cæcitatem dissimulandam, ludicra hastatorum, quibus in primis delectabatur, sæpiùs etiam quàm integris oculis solebat, spectare voluit, & nunc istum, nunc alium, quem in spectaculo superiorem evasisse ex nomenclatore audiebat, nomi-
B natim magna voce laudabat. *Dubr. lib. 21.*

JOANNES quidam, Abbas, è Scania ad Valdemarum Danorum Regem febricitantem accersitus, salutem Regi constanter promittebat. Cibo soporifero refectum cunctis cubiculo ejectis, quietem capere jussit. Eundem paulò pòst voce destitutum, & sudore manantem invenicns stragulis operiri jussit. Ingressi manè cubiculum amici, Regem similem viventi reperiunt, ut nec rigore contractus, nec horrore mutatus vultus esset, pristini caloris habitu totis adhuc membris retento. Serò tandem pallor mortis fidem fecit. *Saxo lib. 15.*

Plurima adhuc retinent Turcæ, antiquitatem admodùm redolentia: exempli gratia, Ustulationem illam, quam inconsulto medico adhibere solent. Dolore enim capitis laborantes, vel defluxione in quamvis corporis partem eam ustulant cum fomite aliquo, aut panno lineo incenso: Mille sexcenti anni elapsi sunt, quod hæc ustio Græcis cognita fuit, atque ustio Arabica vocata sit, nuncque apud eosdem Arabes & Turcas auctoritatem retinet. Eam autem magnæ esse efficaciæ observavimus, ait Bellonius. Thessalonicæ
C enim periculum illius in Judæa quadam fecimus, quam capitis dolore, quo plus, quàm sexennium afflicta fuerat, liberavimus eo, quo Dioscorides in sciatica uti solebat, remedio: adposito videlicet quinquies ea, caprino stercore ardente, in cuniculo illo, qui inter pollicis radices est, & carpum. Turcæ autem longè aliter ustionem eam faciunt. Xylinam enim telam circumvoluunt ad nucis juglandis crassitiem, & assis Gallici latitudinem [vel in ejus penuria sclopetum sumunt] deindè incensam loco affecto imponunt, quam ita ustulare sinunt, donec sua sponte extinguatur: tamque fortiter eam ferunt, ut constanter expectent, donec sponte extinguatur, & frigescat. Nihil ad ustionem curandam præter pauxillum Xyli imponunt: Idcircò plerique frontem, tempora, aliasque corporis partes hujusmodi cicatricibus fœdatas habent. *Petr. Bellon. lib. 3. Observ. cap. 20.*

CAROLO IX. Gallorum Regi febricitanti, sanguinis detractio de Capellani, & Castellani Medicorum regiorum sententia, præscripta est: ad quam celebrandam vocatus est Chirurgus, ejus operis gloria famosissimus. Sed is cùm fortè fortuna nervum pro vena pupugisset, exclamavit Rex, dolorem se eo loci ingentem percipere. Tum ego edixi, ait
D Pareus, ut extemplò vincula solverentur, aliàs brevi in altum tumorem actum iri brachium: Id cùm segnius fieret, ecce tumor invasit brachium, cum contractione tanta, ut flectendi, aut exporrigendi non esset libertas: dolor verò sævus per totum brachium. Ego verò emplastro ex basilicone agglutionem cohibui vulneris, linteis oxycrato mersis, brachium imbui, & fascia expulsiva fluxionis, & inflammationis metum imminui. Tum cepto consilio oleum Terebinthinum calens cum aqua vitæ in vulnus affudi: toti brachio emplastrum diachalcyteos, aceto, & oleo rosaceo dissolutum induxi, & fascia expulsiva obvolvi. Tandem post trimestre spatium sanatus est Rex, ut vitiatæ actionis in parte lasa vestigia nulla superessent. Nomarchæ equidem Cortinæ, in sanctę Crucis vico commoranti recens adhuc, & tristis memoria versabatur ante oculos, quæ ex malè secta vena in brachii gangrenam, Sphacelumque incidit, unde tandem è vita excessit, quòd suprascriptis auxiliis illi provisum non esset. *Amb. Pareus lib. 9. Chir. cap. 8.*

Hoc anno 1622. maligna quædam febris Brabantiam pervagata est, quæ & plurimos infecit, & absumpsit. Circa eam E curandam medici Antuerpienses ab inviicem dissentiebant, & multorum morte impunè experimenta suæ quisque opinionis faciebat. Altercatio inter eos circa venæ sectionem erat, quàm alii adhibendam etiam in flagranti morbo, cum periculo plurimorum sustinebant: alii, è quibus Lazarus Marquies, longo medicæ praxis usu, & publica Chirurgiæ professione in eadem civitate percelebris; ab eadem, præterquam in morbi principio, quòd primum & principians medici dicunt; omninò abstinendum satis felici eventu asseverabat. Cęterum quam sint ferales istiusmodi altercationes Reipublicæ, exhinc conficitur, quod de corio alieno, ut est in Proverbio, instituantur, & priusquam decidantur, multorum vita, & salus præcidatur, medicis interim lusum suum ludentibus, & audacter lanienam exercentibus.

MEDICAMENTIS COMPONENDIS.

Medicis duobus sibi notis id accidisse scribit *Aetius Tetrab. 4. serm. 2. cap. 25.* cùm formulis tantùm medicamentorum niterentur, methodum componendi ignorarent: ut amissis codi- F cillis, vel casu, vel improbitate aliena, alter quidem mœrore contabuerit, alter medicandi arterm profiteri desierit.

Mos est in urbe Roma, ut infirmi urina mittatur ad medicum uno, aut duobus argenteis nummis, ut consulat sanitati. Quidam Medicus varia nocte remedia morbis scribebat in schedulis (quas Receptas vocant) eas omnes in sacculum ponebat. Manè cùm urinæ ad eum deferrentur, postulato remedio, ille manum ponebat, ad sacculum, casu eam, quæ in manus incidisset, sumpturus, dicens vulgari lingua: *Prega dio te la mãdi buona*, idest, Roga Deũ ut fortiaris bona. *Pog. in Facetiis.*

* DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM, RELAXANDO.

S. Ambr. Serm. 22. in Psal. 118. vers. 6. ita scribit: Contraria studiosè sunt divinæ cognitioni præcepta medicinæ. A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat. Verùm hæc contra medicos dicta sunt, qui nimia facilitate, & absq; necessitate relaxant disciplinam Ecclesiasticam, quod Paganis medicis tempore S. Ambrosii erat familiare. Et utinam Christianis nostro tempore non foret usitatũ. Quotidie enim G intolerabili corruptela advertimus, quàm facile, & absq; nulla necessitate ditioribus patrocinentur, ut ciborum delectum ab Ecclesia salubriter institutum declinent, & cupediis suis fruantur, nulla aut temporis, aut præceptorum habita ratione, omnique timore Dei postposito. Unde etiam Ecclesiastici Prælati, præter illud medicorum commentum subinde, & illusorũ judicium, pastoris sive spiritualis medici censuram exquirunt, in negotio relaxationum, sive dispensationum, quæ ob adversam valetudinẽ petuntur. Deinde nimis tardi, aut minus aliquando circumspecti sunt in monendo infirmos salutis suæ, & Sacramentorum tempestivè percipiendorum. Quo fit, ut plures, vel non ea qua decet reverentia, & præparatione ea suscipiant: vel certè absque illis præsidiis hinc commigrent, qua re quid inceptius, quid crudelius cogitari potest? væ medicis?

JUDICIUM MEDICUM APTUM.

Homerũ de omnibus ferè medicinæ partibus rectè judicasse, *Plut. in Comment. de Homero* ostendit. Contemplatricẽ medicinam ei notam fuisse, hoc versu obscurè indicat *Iliad. λ.*

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μηκάονος.

μηκάονος dicit medicamenta, nempè contemplatrice peritia apparata, *σημειωπτικῶς* disertè in Achille proponit *Iliad. α.* Is enim H ut Chironis discipulus, primus causam luis, quæ Græcos invaserat, deprehendit: nimirum sentiens morbos, qui populum simul inficiunt (Epidemios vocant) ab Apolline esse, qui idem est sol. Is anni tempestates adducit: quæ ubi inæquali temperie constant, morbos gignunt. Et in universum adeò salutem, ac exitium virorum Apollini, mulierum Dianæ, hoc est, lunæ harum, Soli illorum adscribit: sagittarios eos fingens, ob conjectum radiorum: dividens autem masculum à fœmineo, quòd illud natura est calidius. Propterea *Odyss. τ.* ait Telemachi tantam esse staturam voluntate Apollonis: Tyndarei autem filias ope Dianæ adolevisse. *Odyss. υ.* Mortem iisdem imputat, cùm sæpè alibi, tum de filiis Niobes, filiabusque ubi loquitur, ita distinguens. *Iliad. ω.*

Hos Titan, illas pernix Diana necavit.

Caniculæ quoque ortum, refert signum causam æstus, morborumque. *Iliad. χ.*

Exsuperat splendore suo, qui sidera cuncta,

Sed

Sed mala designat, magnum mortalibus æstum
A *Ille ferens.* ——

Causam etiam persequitur, de iis hæc scribens *Iliad. ε.*

Nam neque edunt Cereris, neque Bacchi munera portant:
Hinc immortales, & cassi sanguine vivunt.

Alimentum quippe tam siccum, quàm humidum, sanguinem gignit: sanguis corpus alit, idemque abundans, aut corruptus morbos generat. Effectricem medicinam ita tractat, cujus pars est etiam ea, quę victus ratione utitur. Primum discrimen morborum acutorum, & diuturnorum aperuit. *Odyss. λ.*

Nam quæ te mortis species dulcissima mater
Abstulit? an longi vis morbi? Cynthia velte
Ipsa suis telis subitò jaculata peremit?

Manifestum quoque est, eum tenuem victus rationem existimasse salubrem. Facit enim heroas assatis carnibus vesci, ciborum curiosum apparatum omnem amputans. Et quoniam venter semper indiget iterata alimentorum suggestione, postquam priores cibi concocti, corpori suum succum, ac quod idoneum est, in cor, & venas transmiserunt, & superflua
B excerta sunt, ideò sic scribit. *Odyss. υ.*

Me sinite intereà quamvis cœnare dolentem,
Nam nihil invisso ventre importunius usquam est,
Qui meminisse sui nolentem cogit, & urget. Et statim:
Me jubet ille cibum capere, & potare, malorum
Oblitumque jubet se tantùm explere. ——

Vini quoque diversos usus monuerat: nimium, damnosum: mediocrem verò, utilem. Itaque prius ita describit *Odyss. ρ.*

Tormentum tibi dulce nocet: quod pluribus antè
Obfuit immodicè vinosis faucibus haustum.

Posterius sic *Iliad. ζ.*

Auget enim membris, quæ languent fracta laboræ
Egregias vinum vires. ——

Et quod robur gignat. *Iliad. τ.*

Asti vir, Lenæi quem dona, cibusque refecit.
Per totam durent quantumvis prælia lucem
Sufficit, & robur membris, audacia cordi
Æris adest: neque eum vires & strenua virtus
Destituunt, campo priùs atque ejecerit hostes.

C Ac suave quidem conviviis adhibet. *Odyss. υ.*

Sic ait, & grata præstans dulcedine vinum
Fudit Pontonoum. ——

Vehemens, & gravem soporem gignens, Cyclopi Ulysses prabet. *Odyss. 1.* Adstringens autem, ad medicinam facit. Tale enim est vinum Prammium, quod Machaoni faucio exhibet. Exercitationibus utendum suadet, dum semper agentes aliquid introducit, Ulyssi verò à maritima jactatione agitato somnum immissum scribit, qui eum quàm celerrimè liberaret molesta illa defatigatione. Natura enim requirit, ut defessum corpus requiescat, & in quo calor est exiguus, cùm is non possit in omnes partes egredi, vult eum in profundo manere. Quòd autem quiescat corpus animo remisso, & solutis membris corporis, id evidenter dixit *Odyss. δ.*

Illa reclinata obdormivit, & omnia membra
Dissolvit sopor. ——

Quòd autem in omnibus rebus ea, quæ modum excedunt, inutilia sunt, id de somno quoque pronunciavit, *Odyss. ο.*

Est etiam nimio conjuncta molestia somno:

Item *Odyss. υ.*

D —— *totam quippe molestum est*
Noctem pervigilare.

Bonam quoque aeris temperiem ad sanitatem conducere cognitum habuit: ut apparet ex his *Odyss. δ.*

Sed te, quà terræ postremus terminus extat,
Elysium ad campum cœlestia numina mittent,
Quem Rhadamanthus habet, quà vita facillima longè
Ducitur. Haud campos Jupiter nive conspuit illos,
Miscetur variis neque tempestatibus aer:
Nulli imbres: tantùm spirat levis aura Favoni,
Missaque ab Oceano nimios refrigerat æstus.

In quibus duo hæc rectissimè vidit, cùm ventorum principium ab humore existere, tum animalis innatum calorem refrigeratione indigere. Affectuum quoque corporis remedia scivit: animi deliquium refrigeratione curari, ita de Sarpedone scribens *Iliad. ε.*

Tum respiravit rursum, Boreæ simul affians
Penè exhalantem vitam levis aura refecit.

Frigoris, calefactionem esse remedium. Sic Ulyssem jactatum falo, & tempestate, *Odyss. ε.* facit sub arbusto occultari, ubi & à ventis, & à pluviis esset tutus, & se præsenti materia tegeret.

Lavacris quoque, & unctionibus suum usum tribuit: ut cùm *Iliad. κ.* iis Ulyssem, & Diomedem se refecisse scribit, qui in- E somnem exegissent noctem. Maximè etiam his verbis usum lavacri docet *Odyss. κ.*

Tunc animo gratam suprà caput, atque humeros mi
Diva effudit aquam. ——

manifestum est enim, quod, cùm nervi inde exoriantur rectè etiam defatigationis remedium inde auspicetur, quòd consistit in calefaciendo, & humectando: labor enim siccat. Restat ut videamus, quomodo chirurgiam intellexit. Menelaum ergo *Iliad. δ.* Machaon curat, primùm sagittam extrahens, deinde vulnus contemplans, atque sanguinem exprimens, ac siccantia medicamenta inspergens. Id secundùm artem fieri totum evidens est. Eurypolo porrò, qui in femore vulnus acceperat, *Patroclus Iliad. κ.* primùm cultelo oblato sagittam exsecat: deinde aqua tepida vulnus abluens, ut dolor minueretur, radicem iniicit. Multæ ante passim nascuntur vulnerariæ. Notuit autem hoc quoque, quòd amara medicamenta ad siccandum sunt apta: vulnera autem siccari debent. Neque statim Patroclus adhibita me- F dicina abit: sed

Assidet, oblectatque suis sermonibus. ——

Alloquio enim indigebat, qui vehementi dolore vexabatur. At Machaonem, qui neque magnum, neque periculosum vulnus in humero acceperat, minus accurato victu uti non absurdè facit: fortassis artem quoque ejus eo ipso indicans, nam quacunque uteretur victus ratione, seipsum nimirum curare poterat. Id quod apud eum est observare, quòd non ignorarit medicamentorum alia esse, quæ mollita imponantur, vel inspergantur: ut cùm ait *Odyss. δ.*

Leniaque inspersit medicamenta. ——

Alia quæ bibantur: ut cùm Helena in cratere temperat medicamentum, quod omnem dolorem, & acerbitatem animi aboleat, & oblivionem omnium malorum abducat. Eodem modo sciebat venena alia illini, dicens *Odyss. α.*

Quærebat, posset quo tela linire, venenum,

alia portari: *Odyss. β.*

Crateri iniciiat, nos illoque enecet omnes. Hæc ille.

Cicero dicit, Hippocratem, nobilissimum medicum, scriptum reliquisse, quosdam fratres, cùm simul ægrotare cœ- G pissent, & eorum morbus eodem tempore ingravescereet, eodem levaretur, geminos suspicatum. Quos Possidoniu Stoicus, multum astrologiæ dèditus eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos solebat asserere Ita quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem valetudinis, hoc philosophus astrologus ad vim, constitutionemque siderum, quæ fuerat, quo tempore concepti, natique sunt. *August. lib. 5. de Civit. Dei, cap. 2.*

Agesilaus, præscribente ei medico accuratiorem nec simplicem curationem: Per Castores, inquit nulla mihi spes est vitæ, ne fi omnia quidem præstem. *Plutarch. in Apoph.*

Veterem medicinam chirurgiam, & externam totam, fuisse, *Plato in 3. Politic.* asserit (propterea Podalirium, & Machaonem chirurgos introducit Homerus) internam olim nullam, sed quæstus gratia excogitatam. Propterea etiam chirurgos tantùm medicos in suam Remp. admittit.

Aristoteles cùm morbo teneretur, & medicus ei præceptum quoddam injungeret: Ne, inquit, me cures vel H ut bubulcum, vel ut fossorem, sed prius causam edissere, sic enim facili persuasione me morigerum reddideris, docens his, nihil sine causa, temerèque proferendum esse. *Ælian. lib. 9. Var. hist.*

Galenus ab adolescentia semper se assuefecit præcipitem, ac temerarium assensum refugere. Quamobrem ut nulli sectarum medicarum se addixit, ita rationes omnium audire, & cognoscere voluit: & in iis omnibus, quæ sensu, aut ratione cognoscuntur; nisi horum alterutro, vel utroque impulsus, pro certo & indubitato nihil habuit. Eodem consilio ab omni superstitione, & præstigiatura, quarum hæc ferè sensibus, illa rationi repugnat, semper alienus fuit. *Testis ipse, 8. Meth. 3.* Etsi Hippocrati tanquam parenti, & conditori artis summum honorem defert, tamen veritatis studio multis in locis sermonem ejus, & scripta arguit veluti non exactum, improprium, obscurum, inconditum, indistinctum, & modò imperfectum, modò contra superfluum est, quando diligentiam in eo desiderat, confusam, & inordinatam traditionem reprehendit: & nonnunquam ineptitudinis, oblivionis, immò etiam erroris, & menda-

cii accusat. Commentario secundo de victus ratione in mor-
A bis acutis, circà pharmaca pleuritidis danda, ab eo dissentire
videtur, *Gesnerus in ejus vita.*

Idem nihil unquam (ex validioribus prefertim auxiliis) egrotis exibuit, cujus vis, & usus per experientiam ei non constaret, ut ipse scribit *in 1. Epid. Hippoc. com.* 2. Plerorumque experientiam ipse in sese fecit, non solùm gustando omnia, & ex odore, saporeque judicando, sed etiam cuti suæ imponendo. Sic acepti potentiam ut accuratè experirctur, in seipso periculum fecit: & oxyrhodino sæpè perfusus est, ut ejus vim certiùs teneret. Et ab initio cùm juvenis adhuc multa egregia, & laudata à præceptoribus, aliisque pharmaca nactus esset, amicis medicis, ut experirentur, communicavit, *Lib. 5. de morb. curand.* Horum (inquit) quæ retuli, sive ea inveni ipse, sive juxta Hippocratis viam usurpavi, nihil sanè non examinatum, ac judicio comprobatum est: sed per experientiam omnia judicata, in quibus erroris pericula ipsi pertulimus. Quæ ad emptoriam artem attinent: & si quædam nec inutilia, nec injucunda scitu in eis contineantur: & principes viri, ac matronę ea aliquando à medicis requirant, & apud alios etiam homines honestus aliquando eorù usus esse possit, Galenus tamen ea scribere per verecundiam omisit. Vene-
B norum compositiones minimè publicari oportere existimavit. Per manus autem tradi amicis, optimis duntaxat, ætate, judicioque maturis voluit. Philtrorum (inquit *de Simpl. med. facult. lib.* 10. *cap.* 1.) & eorum quæ ἀγώγιμα, ἐνυπνιωτικὰ, ac μίσυτρα, vocant quidam, planè, ne sic abundè illa forem expertus, mentionem facere in animum inducerem, sicuti nec lethalium medicamentorum, aut ut ipsi loquuntur πολυτιμῶν. Nam illa sanè ridicula fua, constringere, ac vincire adversarios, ut in judicia nihil possint eloqui, aut gravidæ abortum afferre, aut ut ne unquam deinceps concipiat efficere, quæcunque ejus sunt generis, vel impossibilia, vel certè mortalium vitæ noxia. &c. Eodem loco Xenocratem serio deprehendit, fœda, & abominanda remedia, è corporibus humanis petita, tanquam à se experta, commemorantem. Puta quosnam morbos curare valeat comesum cerebrum, aut carnes, aut jecur humanum, aut ossa. Sic enim sub prætextu medicinæ homines ad anthropophagiam legibus Romanis vetitam tacitè traduci. Idem stercoris junctionem, sudoris, aut urinæ, aut mensium potum, seminis per se effusi, vel post coitum viri ex sinu effluentis illitionem. Quæ ipsa, in tantis naturæ omnipotentis opibus, vel recensere, nedum adhibere ele-
C gantem medicum minimè deceat. Jam quando rara quædam & paratu difficillima proponit, ex basiliseo, ex hippopotamo, ut ingenium ostentat, sic mendacii suspicionem tacitam cordatis ingerit, quasi inexplorata pro exploratis tradat, eademque, ne in disquisitionem venire possit, vel fabulosa, vel paucissimorum experientiæ cognita.

Hippocratis præceptum est, pietatem religiosam medico inprimis curæ esse oportere, quòd ad popularem gratiam plurimùm opinio ista faciat: cum non, qui de salute sua desperant, ob ipsius medici probitatem tamen deorum iræ leniendæ spem aliquam concipiant. Locus extat in præceptionibus. Quòd si ergo multum refert quis ille sit, qui curam ægri suscipit: non reprehendendum videtur Starcatheri athletæ Sveci judicium, in jura medica admittenda. Nam cùm post Angateri cum octo fratribus cædem septemdecim vulneribus propè confectus, in saxo affusis intestinis jaceret: quidam curru prævectus, ab eo quæsivit, quid præmii daturus esset, si plagis ejus mederetur. At Starcharterus, quis, & qua conditione esset, rogare cœpit, cùmque cum præconem esse intellexisset, non modò auxilium illius respuit, verùmetiam
D graviter increpuit, quòd indigna viro bono munera sectaretur, accusando, observando, deferendo, explorando. Supervenit interea alius operam suam deferens: qui prioris exemplo conditionem suam edere jussus, ancillam se cujusdam in matrimonio habere, ejusque domino, emancipandæ conjugis gratia, rusticum opus facere testabatur. Eum pariter Starcatherus rejecit, quòd se pudendi connubii causa, servum fecisset. Tertia supervenit fœmina, pistrino assueta. Quam properè domum abire, & vagienti filiæ mammas præbere jussit, ne ab extremæ sortis muliercula subsidium mutuari videretur. Quartus tandem affuit juvenis rusticus curru vectus. Cujus natales, & exercitium Starchatero sic placuere, ut illius cutæ sese committeret, eique clamydem suam præmii loco offerret. Is igitur prolapsa intestina vimine constrinxit & reposuit. Deinde exceptum vehiculo senem, ad regiam usque Ingelli Danorum regis deportavit. *Saxo lib.6.*

Hispanus quidam morbo Gallico infectus, ejus curatione incognita existente, inde mali remedium petendum arbitratus, ubi natales mali fuissent, in Americam navigans Guajaci de-
E coctum bibit, curatus est, novique medicamenti planè divini inventor fuit. *Petrus tom.2. rerum Indicarum cap.* 29.

INEPTUM.

Abderitæ Democritum civem suum philosophiæ studio in solitudine versantem, humana omnia bona, malaque ex equo cachinnis excipientem, insanire credentes, Hippocratem Coum medicum ad eum curandum evocarunt. Is cùm Democrito congressus, non hoc delirium, sed consummatæ sapientiæ argumentum esse deprehendit: cui ipse elleborum propinaturus advenerat, ab eodem saluberrima de contemptu humanarum rerum præcepta xeniorum loco accepit. *Hip. in epistola ad Damagenum.*

M. Catonis judicium præceps de Græcis medicis, *Pete ex Plin. lib.29. c.1. & Plut. in ejus vita.*

C. Plinius cùm ex libris, & commentariis veterum medicamenta varia in opus suum Historiæ naturalis congessisset, eaque verissima, & nunquam variabilia esse crederet: (quod idem tyronibus contingit, cùm primùm medicinæ præcepta discunt, ut quemvis morbum sibi oblatum se felicissimè duraturos cô-F
B fidant) medicos damnare fuit ausus *lib.24.c.1.* quos compositis medicamentis uterentur, cùm simplicibus uti possent: quodque remedia ex ultimis Indiis petita adhiberent, cum vulgatissimis æquè felici successu uti possent. Sed quàm credulus hac in re Plinius fuerit, cuivis vel mediocriter in arte versato liquere potest. Non rem, sed artem se damnare ait. At non videt, artem absque re subsistere non posse. Simotes hominum damnat medicina præposterè utentium, damnat etiam vinum, quo plurimi ad ebrietatem abutuntur: damnet venerem, qua genus humanum conservatur, & propagatur. Quale verò argumentum illud est, quo *lib.22.c.24.* contra medicorum cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota invehitur, quòd natura simplicia omnia crearit? An non pari ratione coquinariam, & pleraque alias mechanicas artes tollet? Cæterùm quia medicinam nunquam exercuit Plinius, idcircò vim illius ignoravit.

Rabanus Fuldensis Abbas, antiparhiæ naturalis ignarus, disciplina, & jejunio corripiendos illos censet, qui de jecinore rabidi canis, medicamenti loco dederant illi, qui ab eodem morsus fuerat: *in epistola ad Regimbaldum.*

* PERPERAM INTELLECTUM.
RESTRICTUM.

Sunt qui D. Bernardum Clarevallensem Abbatem insimulent, quasi de medicina malè sentirent, quando fratres de S. Anastasio, per epistolam, quæ est 321. inter alias, reprehendit, quod medicinas quærerent corporales, infirmitatibus suis, quod dicit minimè competere religioni, nec expedire saluti, vultque illos cum Apostolo, gloriari in iisdem, & fortiores fieri. Admonet autem eos, ut spiritualia sectentur medicamenta, quia vana salus hominis. Cetertùm ut advertit in illam epistolã *Joan. Molanus in suo Diario, c.*34. loquitur dumtaxat de morbis chronicis, five recurrentibus, qui velut languores perpetui quidam sunt, & ægrè curabiles, qualis in isto Monacho erat debilitas stomachi. Et docet in morbis ejusmodi non quærendas species peregrinas, aut plura medicorum pharmaca, vel consilia, sed in patientia eos sufferendos, & per diætam moderatam curandos esse. Ut in quibus locum habet illud Proverbiii, Optima est medicina, non uti medicina: ne videlicet æger in illam incidat necessitatem, ut medicis carere non possit, quod satis H
D mirum censetur, unde & Carthusiani instituti legibus cõtinetur, Medicinis excepto cauterio, & sanguine, perraro utimur.

Porrò *Georg. Vicelius Postilla de Tempore, hom. Dom.* XXII. videtur medicos accusare Simoniæ, si pro consilio suo, & cura quam infirmis impendunt, mercedem, vel præmium recipiant, quo judicio nihil ineptius, siquidem pugnat cum vulgato illo verficulo:

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores,

nisi velit taxare quorumdam medicorum cupiditatem, qui ne quidem pauperibus adsistere volunt, nisi prompta merces redatur, quod satis inhumanum. Quamvis enim à Deo omnis medela sit, tamen plerumque per media humana applicatur: nec quidquam illi repugnat, quàm quod Dei mandatis contrariatur, qualia sunt præbere pocula amatoria, abortum procurantia, carmen in libidinem provocantia: dissuadere continentiam, jejunia Ecclesiastica, absque necessitate, &c. Pulchrè scripsit *Michael Verinus*, qui anno 18. ætatis Romæ obiit.

Promittunt

Promittunt medici coitu mihi, Paule, salutem:
A *Non tanti vitæ sit mihi certa salus.*

MEDICORUM CERTAMINA.

PHILOTAS Amphissensis medicus, cùm Alexandriæ studiorum causas hæreret, allectus est inter clientes Antyllii filii M. Antonii natu maximi, qui ex Fulvia habebat, ac subinde apud eum cum aliis familiaribus cœnabat, cùm non cœnaret ille apud parentem. Is medicum aliquando insolentem, qui multa negotia cœnantibus ipsis exhibebat, hac cavillatione repressit. Febricitanti aliquatenus frigida propinanda est: Omnis autem febricitans aliquatenus febricitat; Omni ergo febricitanti propinanda frigida. Icto homine atque obmutescente, oblectatus Antonii filius risit, ac dixit: Hęc tibi, Philota, cuncta dono, ostendens multis, & grandibus poculis cumulatam mensam. Cujus cùm amplexus esset benignitatem, & quidvis tamen potiùs quàm potestatem esse putaret tantillo puero tam multa donandi: paulò post arripuit pocula unus ex pueris, atque in vase apportavit, jubens, ut vas signaret, Recusante, ac timente Philota accipere: Quid malum, dixit puer, dubitas? Nescis eum, qui dat, Antonii filium esse, cui facultas est tan-
B tundem auri largiendi: Si tamen mihi credis, permuta nobis pecunia omnia. Fortassis enim desiderabit quædam pater operis antiqui, atque ob artem nobilis. *Plutar. in Antonio.*

CLEODEMUS medicus apud Plutarchum in convivio sapientum, ænigma de cucurbitulis propositum, cujus etiam *Arist. 3. Rhet.* meminit, explicare non potuit, quamvis ipse iis frequenter uteretur, iisque nobilitatus esset. Est autem tale:

ἀνδὲ ἐδὲν πυρὶ χαλκὲν ὀν' ἀνέρι κοπίσαντα
ἔπαρ ἀνοικτὸν ὠτειωὶ αἷμα πεῶν.

Magnus oriundus Antiochia trans Euphratem, quæ Nisibis appellatur, Zenonis auditor, dicendo plus poterat quàm medendo: atque adeò curatos ab aliis medicis, & se sospites esse dicentes, quæstiunculis quibusdam objectis, morbo adhuc teneri ostendebat, & medicis os obstruebat. Alexandriæ docuit magna frequentia, & gratia. *Eunapius.*

Quintum morbi diem juvenis quidam agebat: quo ipso cùm medici venam incidere decrevissent, nec indicationes (à quibus detrahendum esse sanguinem medici persuadent) ad-
C versarentur: Galenus bene quidem eos in opinionem mittendi sanguinis venisse dixit: verùm naturam id, quod se gravaret, expellere festinantem (diligenter enim omnia considerarat, quæcunque ab Hippocrate tradita sunt signa illorum, quibus fluxurus est sanguis) brevi admodum, etiamsi nihil ipsi egissent, idem ultro facturam. Dum medici hæc admirantur: æger è lecto se sustulit, tanquam prosiliturus, interrogatusque cur exilire voluisset, rubri coloris serpentem per laquearia repere à se visum, respondit, ideòque è lectulo se aufugere velle. Reliquis medicis nihil ad hoc futurum sanguinis fluxum conferre, visum est: verùm Galeno, cùm alia singula perpendenti, tum ruborem, qui priùs in dextra nasi parte ad malam usque obscurus fuerat, auctum valde intuenti, sanguinis paulò post è dextra nare fluxuri, manifestum id attulit indicium. Atque ita contigit. Nimium autem profluentem ab eo sanguinem cum aliis modis non posset, cucurbitula ad hypochondrium dextrum appofita, cohibuit.

Ludicrum quid de Maximiliano Imp. circumfertur. Ægrotabat ille, seu potius ægrotare se simulabat. Medici spe lucri, eò numerosi confluunt. Singulos seorsim introduci jubet: nec dum reddita salute, Medice, quot? exclamat. Cæteris respon-
D dere se posse negantibus, tacitè verò delirum Imperatorem irridentibus, postremus introducitur senex, experientia quàm doctrina clarior. Is in primo statim congressu Imperatori interroganti, Quot? Quod tua pace dixerim, Cæsar clementissime, innumeros, respondit. Subridens Imperator: Ingenua confessio, inquit, Cæsarum te medicum fecit. Sed tu porrò experimentis per mortes abstine, inventis ex fide utere.

LEONARDUS FUCHSIUS, & JACOBUS SCHEKIUS Tubingenses Medici, hic etiam inter summos nostra ætate philosophos suo merito connumerandus, de causa morborum conjuncta, & viva voce, & scriptis tanta contentione decertarunt, ut controversia ea non nisi Christophori ducis Virtebergici auctoritate impofito utrique silentio sedari potuerit. Schegkius certè in hoc ipso sese, philosophũ præstitit, & logicum insignem.

BASSIANUS LANDUS Placentinus medicus, & philosophus summus, narrare solebat, suo tempore Germanum quendam Patavii omnium Medicorum calculis à laurea, quam petebat, ignorantiæ causa rejectum, unius Senis oratione eam assecutum fuisse, quòd is exoptatissimam hanc vindictæ de Germa-

nis, qui Maximiliani I. auspiciis agrum, urbem & Patavinam hostiliter vastassent, sumendæ rationem esse diceret, si blan- E
dos ficarios, medicorum larva tumentes submitterent, qui non urbes, sed homines, non plebejos (quorum pauci in ea gente medicis uterentur) sed nobilissimos quoque sua imperitia è medio tollerent. Accipiamus sanè pecuniam, & mittamus, non tantùm asinos, ut olim, sed & veneficos in Germaniam. Pervicit adeò senis astuti sententia, ut præter omnium expectationem in doctorem promoveretur.

* STIPENDIA.

HIPPOCRATES ad Abderitas de seipso scripsisse memoratur: Nunquam se pro medicinæ usu mercedem recepisse.

Scilicet potuit id usurpare, quod suum patrem medicum Ausonium Ausonius Poeta cecinit usurpasse *in Eidyllo* 30.

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,
Officiumque meum cum pietate fuit.

Refert *Lorinus in c.* 18. *Actuum Apostol.*

Sed lubet in hujus rei confirmationem adducere Epistolas, quibus imitatus Hippocrates apud Regem Artaxerxem, ejusque super iisdem responsum. Ita verò se habent.

Magnus Artaxerxes Rex regum Pæto S. morbus pestilens F
dictus nostris exercitibus se applicuit, nobilisque crebro multa molientibus nihil dum remisit. Quare prorsus te pro meis in te collatis beneficiis oro, ut quàm primùm aliquod ex ingenio tuo excogitatum præsidium, aut aliquod ex arte remedium, aut alicujus qui mederi queat consilium ad nos mittas. Propulsa oro hanc affectionem. Publicè enim postras copias magna invasit anxietas, easque multùm & sæpè suo afflatu inficit. Non oppugnantes oppugnamur, cùm hostem habeamus feram istam gregem nostrum devastantem, quæ multos acerbis jaculis immissis sauciavit, & immedicabiles reddidit. Angor animo, neque habeo quid jam consilii cum familiaribus capiam. Solve omnia, neque nos tuo optimo consilio destitue. Vale.

Pætus Regi regum Magno Artaxerxi. Quæ à natura præsidii petuntur, morbum pestilentem populariter grassantem non solvunt. Morbos autem ex natura, ipsa per judicationem curat. Qui verò popularitèr grassantur, eos ars ex artificio corporum mutationem discernens curat. At Hippocrates medicus hunc morbum sanat, à Dorienśibus oriundus, G
& è civitate Co, patre verò Heraclide Hippocratis filio, ex Gnosico, Nebro, Sostrate, Theodoro, Cleomyrtada, Crisamida. Hic divina natura præditus, ex parvis, ac vulgaribus initiis in magnam artem Medicinam provexit. Ortu igitur divinus est Hippocrates, nonus quidem à Crismaide rege, ab Æsculapio verò decimus octavus, à Jove vigesimus, matre verò Praxithea Phænaretes filia ex Heraclidarum familia. Quare ex utroque semine à diis oriundus divinus Hippocrates ex patre quidem Asclepiadarum familiam attingens, ex matre verò Heraclidarum. Artem verò tum ex patre Heraclide, tum ex auto Hippocrate didicit. Verùm ab his quidem, ut par est, primùm artis mysteriis initiatus, quæ os tenuisse credibile est, ipse deinde divino ingenio præditus universam artem didicit, tantò ingenii dexteritate majores suos superans, quantò etiam iis artis excellentia præstitit. Expellat autem non ferarum quidem, sed ferorum & agrestium morborum genus, & per magnos terræ, & maris tractus Æsculapii auxilia, non secus ac Triptolemus Cereris semina dispergit.

Rex regum Magnus Artaxerxes Hystani Hellesponti præ- H
fecto. Hippocratis Medici Coi, ab Æsculapio oriundi, artis etiam gloria ad me pervenit. Auri igitur quantùm volet, reliquaque, quibus indiget, effuse ei exhibeto, & ad nos mittito. Cum Persarum enim optimatibus eodem erit honore. Et si quis alius in Europa prudentia excellit: eum in familiam Regiam nihil divitiis parcens asciscito. Neque enim viros, qui consilio valeant, invenire est facilè. Vale.

Hystanes Hellesponti Præfectus Hippocrati ex Asclepiadarum familia oriundo S. Rex magnus Artaxerxes tua præsentia opus habet, & ad nos præfectos misit, imperans ut tibi argentum, & aurum, cæteraque, quibus opus habes, & quæcunque voles, abundè exhibeamus, teque ad se brevi mittamus. Te enim Persarum optimatibus honore æqualem fore. Tu igitur facito, ut quamprimum advenias. Vale.

Hippocrates Medicus Hystani Hellesponti Præfecto S. Ad Epistolã, quam misisti, & à Rege venisse asseris, Regi, quæ respondeo, quàm celerrimè scribe. Nos victu, vestitu, domo, omnique re ad vitã necessaria cumulatè frui. Persarũ autem opibus

uti, neque mihi æquum est, neque barbaros morbis liberare, A cùm sint Græcorum hostes. Vale.

Pius II. erat dicendo mirè facetus, dicere quandoque solebat: Peccare existimo Medicos, quòd ab ægris stipendium accipiunt, qui malint eis carere: at potiori ratione à sanis accipiendum, ne illis uti compellantur. Unde quidam non illepidè Medicis ita lusit:

Accipit oblatum Medicus, dare non solet aurum:
Pharmaca dat, Medicus, non solet accipere,
Ordonner *Medicos, ægros* ordonner *oportet:*
Alterius sic res altera poscit opem.
Corozet. de Dict. & Fact. memorab. Beyerlinck. in Apoph. Christ.

MEDICINÆ CULTUS, STUDIUM, AMOR, HONORES, PRÆMIA.

IN SEIPSIS, VALETUDINEM CURANDO.

☞ *Consule Tit. Sanitatis studium. Hic Artis, Illic Effectus habetur ratio.*

B Ægyptii singulis mensibus triduò se purgabant per vomitum, & fecessum: quoniam omnes morbos ex cibis oriri arbitrabantur. *Herod. lib. 2. & Diod. lib. 1. c. 6.*

Romani veteres salubritatem suam industriæ certissimo, ac fidelissimo monimento tuebantur: bonæque valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato veneris usu aversa. *Val. l. 2. c. 1.*

Committendo aliis.

Ægyptii singulis ægritudinibus singulos adhibebant Medicos: neque qui curandi capitis rationem profiterentur, aliam corporis partem curandam suscipiebant. Arbitrabantur enim fieri non posse, ut unus omnium curarum disciplinam rectè teneret, quamvis in una doctus haberetur. *Herod. l. 2.*

L. Lucullus servo suo hanc de se præfecturam dederat, ut vel in Capitolio cœnans, non quod ipse vellet, sed quod servus subministraret, comederet. Pudenda res, inquit *Plin. l. 28. cap. 5.* triumphalem senem servo facilius suo parere, quàm sibi. Lucullum plerique principes hodie imitantur: hoc uno diffe- C runt, quòd ille, quæ ut salubria essent, cognosceret, Medico utebatur: hi verò, ut interdicto Medici gula irritetur, & vehementius rei vetitæ desiderium excitetur.

IN ALIIS Nempè vel in MEDICIS.

Evocandis, Conducendis.

Ægyptii in militiam, aut peregrinationem profecti, nulla impensa mercedem curantur. Medici enim ex publico victum sumunt. *Diod. l. 1. c. 6.*

Cyrus Persarum Reb ab Amasi Ægyptiorum Rege Medicum ocularium præstantissimum petiit. *Herod.*

Artaxeres Rex Persarum. ☞ *Vide supra Tit. Stipendia.*

Democedes Crotoniensis, cum à patre iracundo Crotone cohiberetur, nec eum tolerare posset, illo relicto abiit in Heginam. Ubi commoratus unum annum, primos Medicos transcendit, etsi imparatus erat, & nihil instrumentorum habens quæ ad artem medicinæ pertinerent. Ex quo factum est, ut sequenti anno Æginetæ conduxerint eum talento. Athenienses tertio anno centum minis, Polycrates samiorum tyrannus anno talentis duobus. Ita in Samum profectus est. A quo viro factum est, ut Medici Crotonienses primi numerarentur, D secundi Cyrenæi. Captus fuit posteà cum Polycrate, ab Orete Sardium profecto, & in Persiam missus ad Darium. *Herod. lib. 3.*

Mithridates Ponti Rex, Asclepiadem Roma ad se magnis muneribus pertrahere conatus fuit, sed frustra. *Plin.*

Principes Romani Medicos celeberrimos, Cassios, Calpitanos, Aruncios, Albutios, Rubrios, CCL. H-s. annua mercede conducebant. Q. Stettinius imputavit principibus, quòd H-s quingenis annuis contentus esset: quę sunt numorum nostrorũ duodecies millia & quingenti, secundum Lud. Vives; sexcena enim sibi quæstu Urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par & fratri ejus merces à Claudio Cæsare infusa est: censusque quanquam exhausti operibus, Neapoli exornata, hæredi H-s. CCC. reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius solus. *Plin. l. 29. c. 1.*

Imperator M. Antonius Philosophus intellecta Galeni Pergameni præstantia, cum accersivit: eratque secum abducturus in bellum, quòd contra Germanos movebat: persuasus tamen reliquit, cùm audivisset diversa deum patrium Æscula- E pium jubere, *Galenus*.

Decami in India Rex potentissimus, Nizamoxa nomine, præter mediocrem doctrinam, quæ præstat, semper apud se Medicos eruditos alit magnis stipendiis, tum Persas, tum Turcas, *Jovius Metellus*.

Constituendis, Probandis.

Reutha Scotorum Rex, quod complures, aut vulneratos, aut morbo correptos, medicorum inscitia periisse sciret, ne quispiam nisi longa experientia, Medici nomen deinceps assumeret, edixit capitis pœna proposita in non obtemperantes. *H. Boethius lib. 2.*

Remunerandis.

☞ *Consule Tit. Gratitudinis erga Medicos, illic Meriti antecedentis, hic Studii simpliciter habetur ratio.*

Apud Indos, post Brachmanas, & Germanos philosophos in maximo sunt honore Medici, ut qui circà hominem philosophentur: frugales quidem, non tamen rusticantes, oryza & hordeaceis vivunt, nemo rogatus illi non irrogat, nemo hospicio non libenter suscipit. *Strabo lib. 15.* F

Polycletes cùm Phalaridem morbo gravissimo laborantem sanitati pristinæ restituisset, à tyranno ex puro auro phialas quatuor accepit, crateras argenteos duos: poculorum item thericlioruin paria decem puellas intactas viginti, & cum his Atticorum argenteorũ quinquaginta millia, & alia quamplurima: quæ legere licet *in Phalaridis ad Medicum Epistola*.

Erasistratus, Aristotelis ex filia nepos, is, qui se ab expertis ἐμπείρων sive ἐμπείρων cognominavit, à Ptolemæo ob Antigonum patrem sanatum, talentis centum donatus est, drachmis videlicet centum quinquaginta millibus, id est, aureis nummis nostratibus quindecies millibus: erant enim Syriæ talenta. *Vives de laudib. Philosophiæ*.

Manilius Cornutus ex prætoriis legatus Aquitanicæ provinciæ H-s. CC. elocavit in curanda mentagra. *Plinius lib. 26. cap. 1.*

C. Julius Cæsar omnes medicinæ, & liberalium artium professores civitate donavit, ut libentiùs urbem incolerent. *Suet.*

Oribasius Pergamenus, vel Sardianus, cùm Juliani Principis Medicus esset, succedentium principum invidia bonis G privatus, in exilium ad Barbaros missus est: ubi tanta gratia, & opinione hominum ob doctrinam, & medicinæ experimenta vixit, ut pro deo penè coleretur: & sic placatis demùm Principibus, rediit, bonaque amissa recuperavit. *Eunapius in vitis Sophistarum.*

Cosroes Persarum Rex Tribunum Medicum, à quo curatus fuerat, maximis affecit honoribus. Petenti enim quosdam Romanos captivos sibi donari, Rex, & alios 300. captivos, & quos nominatim petierat, viros doctos, dimisit. *Suidas.*

Joannes XXIII. Pontifex Gentilem Fulginatem, & Dynum Florentinum, Medicos insignes, magnis præmiis, & honoribus affecit. Amator enim doctorum virorum summus est habitus. *Platina.*

ÆGRIS.

Continendis in officio.

Zaleuci Locrensis cùm multæ leges extant aliæ rectè, commodeque positæ, tum illa non in postremis est habenda: Si quis Locrensium Epizephyriorum ægrotans vinum merum bibisset, nisi jubente Medico, etiamsi ad pristinam valetudinem rediisset, mortis ei supplicium erat constitutum, quoniam non justus biberat. *Æl. lib. 2. Var. hist.* H

ODIUM, CONTEMPTUS, NEGLECTUS MEDICINÆ.

Heraclytus Ephesius, cùm ob pravam victus rationem (in montibus enim degens, olcribus, ac herbis vescebatur) in hydropem incidisset, Medicos ironicè interrogabat, an possent ex imbre siccitatem facere? Sibiipsi autem mederi volens, fimo bubulo sese obrui præcepit, & solo capite extante, vel solutis spiritibus defecit, vel à canibus, monstri loco laceratus est. *Laert. lib. 9.*

Romani in accipiendis artibus minimè lenti, anno Urbis 525. primùm in Peloponneso Archagatũ Lysaniæ F.L. Æmylio, & M. Livio Coss. Medicum admisere: eique jus Quiritium datum, & taberna, in compito Acilio empta. Mirèq; gratus ejus adventus initio. Mox à sævitia secandi, urendique Carnisex

nisex dictus, in tædium & attem, & Medicos omnes vocavit. A *Plin. lib. 29. c. 2.*

Æsculapii templum extra urbem in insula fecerunt Romani, necessitate coacti, non voluntate. Medicinam enim nemo nisi coactus admittit. Quinimò tempore Plinii, solam hanc artium Græcarum nondum exercebant Romani, indignam gravitate sua eam indicantes: & servis potius, iisque Græcis, quàm ingenuis convenientem. *Idem.*

Adrianus Cæsar moriturus dixit illud vulgatum: πολλοὶ ἰατροὶ τὸν βασιλέα ἀπώλεσαν. *Eras. l. 6. Apoph.*

M. Cato Censorius summo odio non medicinam, sed Græcos Medicos prosecutus est, ita ut ad Marcum filium scripserit: Bonum est eorum literas inspicere, non perdiscere. Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet: tum etiam magis, si Medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina: sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit, & facilè disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurciùs nos quàm alios opicos appellatione fœdant. *Plin. lib. 29. c. 1.*

Aurelianus Imp. ægrotus nunquam Medicum vocavit, sed inedia curabat se. *Sab. l. 6. Eunead. 7.*

In Septentrionalibus regnis rarissimi Medici reperiuntur: B non quòd de arte, vel experientia bene curandi addubitent, sed ob dissolutum victum ægrotorum. At Chirurgi plurimi, propterea quòd rarò dies absque hostium incursu, aut privatis vulneribus exigitur. *Olaus l. 26. c. 50.*

Fran. Petrarcha consilia Medicorum adeò sprevit, ut nunquam eorum pharmacis uti voluerit, naturam sibi mastigram, Medicorum consilia vana esse dicens. *Hier. Squarzafichus in ejus vita.*

Albertus II. Imp. Budæ ex immodico peponum esu lævorem intestinorum contraxerat. Suadebant Medici quietem, ne agitatione intestina exulcerarentur. At ille mutationem loci, genitalisque foli auram, plus quàm curam Medicorum profuturam sperans, iter ingressus, ut Viennam peteret, haud procul à Strigonio, in pago, quem Longum cognominant, ultimum reddidit spiritum, cùm nondum toto biennio imperasset. *Dubravius lib. 28.*

Angelus Episc. Aretinus gravi morbo vexabatur. Adhibiti Medici aut pharmacis utendum, aut pereundum dicebant. Cæterùm natura à medicamentis abhorrens, cùm negaret se ea sumpturum, precibus tamen amicorum motus, C pariturum se respondit. Illi syrupos diebus aliquot ad Episcopum miserunt: quas omnes in pelvi subtus lectum collocavit, tandem quoque pharmacum purgans: Manè cùm Medici ægrum fermè liberum à febri comperissent, idque suis tribuerent potionibus, tum ille: Magnas enim verò & prius incompertas mihi vires habere videntur, quæ subtus lectum positæ fanitati me restituere, quid facturæ, si eas potassem? Immortalem me profectò reddidissent. Hoc dicto, thesaurum Medicum proferri, & in cloacam abiici jussit. *Poggius in Medicinæ, & Jurisprudentiæ comparatione.*

☞ *Vide nonnulla suprà. Judicium ineptum.*

* APOPHTHEGMATA.

Refert *S. Hieron. in vita S. Hilarionis*, fuisse ad illud adductam cœcam mulierem, quæ omnem substantiam in Medicos se erogasse quærebatur. Ad quam Hilarion: Si, quæ Medicis dando perdidisti, pauperibus elargitus fuisses, curasset te verus medicus Jesus Christus.

Diogenes, cùm consideraret hominum vitam, videns Me- D dicos, & Philosophos, dicebat nullum animal homine sapientius esse. Verum cum videret conjectores, & hujus generis alios, ajebat, sibi nihil homine videri stultius. *Laert. l. 6.*

Nicocles, Medicos felices nominabat, quoniam successus quidem ipsorum sol intuetur, errores autem tellus operit. *Ant. part. 1. serm. 56. Meliss. Max. serm. 50.*

Stratonicus ad Medicum quendam dixisse fertur, Laudo tuam experientiam, quia non finis infirmos computrescere, sed statim eos à vita liberas. *Antonin. in Meliss. part. 1. serm. 59.* Sed hoc Nicocli ascribit. *Max. serm. 50.*

Dydimus perfectum Medicum esse dicebat, non quidem qui omnino curaret, sed qui nihil eorum, quæ ad utilitatem ægri, & curam pertinent, omittit. *Anton. in Meliss. part. 1. ser. 56. Maxim. serm. 50.*

Theophilus interrogatus, quis perfectus Medicus fieret? dixit: Ille, qui possibilia, & impossibilia discernere potest. *Stob. serm. 109. Max. serm. 59.*

Philotimus, cuidam ostendendi digitum exulceratum, qui unguem haberet rabidum (id enim ex colore deprehendit.) Non est tibi inquit, ò bone, periculum ab unguium vi- E tio. Idem ferè fit ab omnibus: ut de levioribus malis queran- tur, graviora dissimulent. *Eras. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Medicus quidam ægrotanti dederat pharmachum, eoque sumpto convaluit ægrotus. Evenit, ut aliquando post idem morbus recurreret, ægrotus cùm ad idem pharmacum, quo prius convaluerat, confugeret, nec sentiret remedium, accersit Medicum, admiratus quid factum esset, ut eadem medicina, quæ prius detulisset morborum posteà magis aggravaret? Hujus rei causam scisciitanti, Medicus facere respondit. Fateor idem fuisse pharmacum, sed ideò non profuit, quia ego non dedi. Sentiens Medicorum esse dare pharmaca, qui norunt quando, & quomodo da nda. Quæ prosunt juveni, nocent seni: & contra quæ juvant cœlo tepido, lædunt frigido. *Hoc refertur ab Aug.*

Eum Medicum censebat optimum Pausanias, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quamprimum sepeliret. Inhumanior quidem videtur hæc sententia, sed tamen à Socratis opinione non multum abhorrens: qui vult, admodum valetudinarios, nec ulla jam ex parte utiles reipub. æquo animo debere è vita decedere: sic tamen ut nemo sibi vim adferat, sed honestis actionibus immoriatur. Certè non appa- F ret, quid magni faciant, cùm quatuordecim Medici multa tempore, immodicis impendiis admittuntur, ut anui jam præmortuæ vitam in unum, alterumve mensem proferant. Quid enim aliud agunt, nisi quod arte sua mortem reddunt longiorem: quasi hoc cuiquam sano sit optabile, diu mori? At viri sapientes mortem inopinatam, ac brevem judicarunt optimam. *Plut. in Lacon.*

Demades, majorem gratiam Medicis deberi dixit, qui morbum ingruentem arcent, quàm qui jam præsentem expellerent. Magis quippe optandum est, omnino non pati, quàm à passionibus liberari. *Anton. in Meliss. part. 1. serm. 56. Max. serm. 50.*

Hieron Medicum tum demum ægroti amicum esse dicebat, cùm in extrema necessitate se diligentissimum ostendit. *Anton. in Meliss. part. 1. serm. 56.*

Dionysius Sen. post alia multa sacrilegia in Epidauro, Æsculapio barbam auream detraxit, quod negaret convenire, cùm Apollo Æsculapii pater imberbis fuisset, ut filius barbam aleret. Finxit autem ideò antiquitas Æsculapium barba- G tum, innuens, in medico multarum rerum usum, & experientiam requiri. *Valerius Maximus.*

Tiberius Cæs. dixisse fertur, eum hominem sibi videri ridiculum, qui sexagesimum prætergressus annum, manum porrigeret Medico. Sentiens, hominem tam grandem natu scire oportere, quomodo jam sibi mederi debeat. Porrigunt manum Medico, qui consulunt illum explorantem pulsus venarum. *Eras. lib. 6. apoph.*

Diogenes videns quemdam medendi artem jam profitentem, qui prius fuerat palæstrites, sed ignavus, dixit illi: An eos, qui te hactenus dejecerunt, nunc vicissim deiicies? Deiicit luctator, quem superat: & deiicit Medicus, quos in luctum coniicit, aut etiam in sepulchrum. Similis jocus est apud Martialem de eo, qui ex Medico factus est Hoplomachus. *Laert. lib. 6.*

Didymon, qui vulgò dicebatur adulter, curabat oculum virginis. Ei Diogenes dixit: vide ne corrumpas pupillam. Hoc dictum apud Latinos sale caret. Apud Græcos autem κόρη, & virginem sonat, & oculi pupillam. Lusit igitur ex ambiguo Diogenes. *Laert. lib. 6.*

Nicocles cùm malus quidam Medicus diceret, se magnam H habere potestatem. Quidni, inquit, ista dicere liceat, qui tam multos impunè sustulerit. *Max. serm. 50.*

Sapiens quidam, cùm imperitus Medicus ei dixisset, senex factus es? respondit. Benè quidem, & satis feliciter, Medico enim non usus sum. *Ant. in Meliss. part. 1. serm. 56.*

Cùm morbo torqueretur Aristoteles, & Medicus ei præceptum quoddam injungeret: Ne inquit, me cures, vel ut bubulcum, vel ut fossorem, sed prius causam edissere, sic enim facili persuasione me morigerum reddideris. Docens his nihil sine causa, temerèque proferendum esse. *Ælian. l. 9. de var. histor.*

Medicus quidam invisebat Pausaniam, dicebatque, Nihil habes mali: Non enim, inquit, te Medico utor. Hoc ipsum quod nihil habeat mali, adeò non acceptum ferebat Medicis, ut eos solos judicare prospera esse valetudine, qui Medicis non uterentur. Id ut perpetuò verum non fit, tamen extra controversiam est, maximam laborum partem à Medicis proficisci,

vel qui sint imperiti, vel quia negligentes, vel quia ambitione,
A quæstuve corrupti. *Plut. in Lacon.*

Idem, cùm ab amico argueretur, quod de Medico quodam malè loqueretur, à quo nec ulla re læsus esset, nec cujus fecisse periculum: Si fecissem (inquit) periculum, nequaquam viverem. *Plut. in Lacon.*

Cùm Medicus quidam Agesilao Regi præscriberet curationem nimis exactam, minimèque simplicem, qualis esse solet apud Lacedæmonios: per Gemnos! inquit, summam quæ præscribis, si mihi provisum est in fatis, ut non vivam: etiamsi non omnia sumpsero. Significabat, ejusmodi curationes citius acceleraturas mortem, quam depulsuras morbum. Nec tam operosa pharmaca sumenda, nisi ei, qui destinavit mori. Omnibus in rebus ei genti placuit fragilitas, ac simplicitas. *Plut.*

Hadrianus Imp, moriens dixit illud vulgatum. Turba Medicorum Cæsarem perdidit. Arbitror illum huc detorsisse Græcum proverbium, πολλοὶ σφαγεῖς κακῶν ἀπώλεσαν, πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλῆ ἀπώλεσαν. Quanquam & hodie verum est, turbam Medicorum causam esse mortis. *Dion.*

B *Scripsit nuper Medicorum Illustrium ad nostra usque tempora vitas Petrus Castellanus, Græcarum Litterarum in Lovaniensi Academia Professor.*

* Mediocritas.

Definitio, et Etymologia.

Mediocritas, quam Græci μετριότης, vocant, est virtus media inter excessum, & defectum: potestque in omni penè virtutis, aut vitii genere reperiri, habetque maximè locum in moralibus, & transfertur ad corporis cultum, habitum, convictum.

Rei medium appello id, quod æque abest ab utraque extremitate: idque apud omnes unum, idemque valet, & efficit. Nostra autem ratione id medium est; quod nec transit modum, nec deficit, nec unum idemque apud omnes valet, *l.2. Eth. c.6.*

Omnem artis præstantiam conservat mediocritas. *Ibid.*

Mediocritas duorum vitiorum est, quorum alterum co quod superat, alterum eo quod parum est, cernitur. *Ibid.*

Μίσυπ με χείμαιν πόντου ἄγει δρασύς, οὐδὲ γαλήνην
Ἀργαὶ ὑπασάμενοι πλοῖ πολὺ λώιον·
Αἱ μεσόπαντες ἄριστα, ὅπῃ δὲ γαπρίζοις ἀνδρῶν,
C Καὶ μέλια μέτριον ἐγώ τ' ἄριστον ὑπασάμενος
Τοῦτ' ἀγάπα φίλε λίμπαι, κακὲς δ' ἐχθαιρε δυείας.
Εἰσὶ γὰρ τρηῶς, ἐν βιότῳ ζέφυροι. *Bassus.*

Neque me tempestate mare ducat concitatum, neque tranquillitatem.
Otiosam amavi, omnino ventis carentem.
Mediocritates optimæ, ubi autem actiones virorum,
Et valde mensuram ego sufficientem amavi.
Hoc ama, chare Lampi, malas fuge procellas,
Sunt quidam mansueti, & vitæ zephyri.
Hor. Carm. 10. *Lib.* 2.
Rectius vives Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sen. Oedip. Act.

D *Fata liceat mihi*
Fingere arbitrio meo:
Temperem Zephyro levi
Vela, pressæ gravi
Spiritu antennæ tremant,
Lene sed modicum fluens
Aura, nec urgens latus
Ducat intrepidam ratem,
Tuta me media vehat
Vita, decurrente via.
Cnossium regem timens,
Alta dum demens petit.
Auribus fidens noxis.
Certat, & veras aves
Vincere, & falsis nimis
Imperat pennis puer.
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter, E
Nube sub media stetit.
Alitem expectans suam, &c.
Quidquid excessit modum,
Pendit instabili loco.

Huc serviunt extrema monita, quæ Dædalus Icaro suo, & Sol Phaethonti filio, huic currum solarem acturo: illi volaturo dedisse scribitur apud *Ovidium.* Et quidem Dædalus:

—— *Postquam manus ultima cœpto*
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura,
Instruit & natum, medioque ut limite curras
Icare, ait, moneo, ne si demissior ibis,
Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat,
Inter utrumque vola.

Pari modo ad Phaetontem Sol loquitur:

Altius egressus, cœlestia signa cremabis,
Inferius terras: medio tutissimus ibis.
Lib. 2. Metamorph. F

De hac autem mediocritatis virtute ita scribit *Lib.* 1. *de fortit. cap. 5. Jovin. Pontanus.* Virtus ait, necesse est, ut constituatur, eritque, ut Horatius definit, medium vitiorum, atque utrinque reductum. Cùm autem in ipsa vitia hinc deficiendo, illinc exsuperando præcipitemur, efficitur ut medium illud, aut perinde deseramus, ac si contemptui ipsum habeamus: ita quidem de via digressi, ut modum, mensuramque sponte excesserimus, aut ab eo sic recedamus, ut non modò recusare, verùm etiam reformidare ipsum medium videamur. Ex quo fit, ut nec rerum, nec mensuræ ratione habita, nunc exsuperante animo, nunc rursus deficiente proprium virtutis munus implere nequeamus. Nec verò audiendi sunt, qui adversùs hæc disserere cœperunt, minuti philosophi, aut potius nullo modo philosophi, qui mihi illud sanè velle suadere videntur, ut de hominum actionibus tollatur mensura, ea videlicet, sine qua nec artifices quidem consummatum facere aliquid valeant. Est enim artificis, & optimi cujusque maximè metiri, quæ facit, atque ad mensuram redigere & numeros, quo singulæ sibi inter se partes conveniant. Quibus ipse dimetiendis, adæquandisque intentus, ut qui à suis numeris, rectaque mensura nulla parte recedat, opus suum rarè effecit: cui, quod de opere dici maximè consummato solet, nihil addi queat, nihil eximi: quòd præstare, atque efficere, proprium est mensuræ. Quocirca quando omnis affabre factio ex eo est, ut nec magis quid aut productum habeat, aut subductum, quam ratio, quam natura, quam res denique ipsa, quæ fit, postulat: nimirum laus omnis tum artificis tum operis est à medio: cujus ut dixi, judex est mensura. Docent hoc pictores in primis, & cælatores, ut qui vocantur Architecti. Rerum quoque scriptores ac Poetæ duo ante omnia fugiunt: alterum, ne quid insolens, ac turgidum in dicendo habeant: alterum, ne quid humile, & abjectum. Quæ cum fugiant, quodnam magis sequuntur, quam quod inter duo hæc positum, & constitutum est? Id certè nisi medium esse nequit, quando ab utroque extremo (qui medii est natura) recedit. Ergo etiam Poetæ virtus, ac laus ex hac medii observatione gignitur. Quique quod Physicis quoque placet, ab uno ad alterum extremum, nisi per medium additum esse nullum.

APOPHTHEGMATA.

Pittacusm, ajunt, dicere solitum, Dimidium plus esse toto, de quo dicta multa, *Eras. in Chiliadibus.* Hoc dictum autem H
extat apud *Laert. l. 5. c. 5.*

Solon, ejus item dictum nobile, & singulis momentis repetendum celebratur. Μηδὲν ἄγαν, id est, *Ne quid nimis*, quòd mediocritatem auream in omnibus servandam esse jubet. *Laert. & Stob. serm.* 3.

Cleobulus, nec minus celebre est illud Cleobuli. Μέτρον ἄριστον, id est, Modus optimus; eandem mediocritatem commendans. *Laert. Stob.*

Philoxenus dicebat, esse jucundissimas carnes, quæ carnes non sunt: & suavissimos pisces, qui pisces non sunt, quemadum amœnissimam esse navigationem juxta terram, & ambulationem juxta aquam. *Eras. l. 6. apoph. ex Plut.*

Lycurgus interrogatus, quam ob rem statuisset, ut ad ædium culmen imponendum fabri securi uterentur, ad fores verò addendas sola serra, nec ullo alio instrumento. Ut, inquit, cives

cives mediocritatem servent in omnibus, quæ apud alios sunt
A admirationi. Videbatur enim parum decorum esse, si per ostium rude inserrentur exotica pretio chara, arte operosa, &c. *Plut. in Lacon.*

Nero sibi comparaverat aulæum quoddam insigne, tum pretio, tum pulchritudine. Id videns Seneca, Declarasti, inquit, te esse pauperem. Causam rogante Nerone: Quoniam si illud amiseris, inquit, non poterit aliud parare simile. Evenit, ut illud aulæum naufragio periret. In hoc autem profecerat Senecæ admonitio, ut Nero jacturam adamatæ rei ferret moderatius. Qui nummum habet unicum, quo amisso, non queat alterum promere, pauper est. Tutissimum igitur est, mediocribus, ac parabilibus delectari. *Eras. l. 6. apoph.*

Socrates percontatus quænam esset potissima juvenum virtus? Ut, inquit, ne quid nimium tentent. Calor enim ætatis vix finit illos servare modum. *Laert. in Socrate.*

Democritus, si quis modum (inquit) excesserit, jucundissima quæque injucundissima fient. *Stob. serm.* 17. Idem ab Epicteto dictum est. *Arian. teste.*

Aristippus, Aretam filiam salubribus præceptis instituebat, consuefaciens, ut ubique quod immodicum esset, contemneret, quod mediocritas in omni re sit optima: & in fœmina ma-
B ximæ virtutis sit temperare cupiditatibus. *Laert. l. 8.*

Diogenes, cùm multis videretur immodicè philosophus, respondit, sese imitari chori magistros, qui tonum legitimum excedere solent, ut alii congruum arripiant. Quod enim excedit modum tametsi vitiosum est, tamen ad excitandum aliorum socordiam conducibile est. Ita Pallium, ac dolium Diogenis divitibus suas delicias exprobrabant. *Laert. l. 2. c. 8.*

M. Cato, qui magistratum eundem frequenter ambirent, dicebat veluti ignaros viæ, ne aberrarent, lictores, qui præcederent, semper quærere. Solebant enim lictores præire, ut non jam ostenderent, sed honoris gratia. Voluit autem indicare vir prudentissimus, modum etiam in petendo magistratu observari oportere. *Erasm. l. 5. Apoph.*

Mediocritatis quoque temperamentum dicto suo utilissimum demonstravit Alphonsus: dicebat enim: Optimum fore, & peroptandum, si voluntas nostra inter amorem, & metum media intercederet: ut quantum amor ad excessum, tantum metus pelleret ad defectum. Sentiebat autem hominum actiones media voluntate temperandas. *Panor. l. 3. de Gest. ejusd.*

Petrus Aldobrandinus Card. etiam hujus virtutis non lau-
C dator tantùm, sed & sectator, dicere erat solitus; Virtus sine modo fit vitium. Hinc cùm filias Archidami donasset pretiosis vestibus Dyonisius, noluit pater eas indurent, ne turpiores apparerent. *Ex Apophtheg. Laur. Beyerlinch.*

Meditatio.

Definitio, et Etymologia.

Meditationem Græci μελέτην. Hebræi *Hegeb*, id est, in corde versavit, appellant. Estque attenta, & sedula rei alicujus in mente revolutio, & agitatio. Eaque, *Cicero* testatur, *Demosthenem* naturæ vitia sustulisse.

Meditari nihil aliud est, quam crebro repetere imagines, atque recurrere, non uti in spe spectandæ sunt, sed ut imagines aliorum. *Themist. de men. & rem..... l. c. 15.*

Meditari nihil aliud est quàm speculari multoties aliquid idem sicut imaginem rei præteritæ non per se *Albert. Magn. de mem. & rem. tract. 1. c. 4.*

Meditationes ad gaudium, & bonam spem cordis fortitudinem significant, & æqualitatem complexionis: at quæ declinant ad solitudinem, excessum in calore significant, quæ ad
D mortem, & tristitiam declinant, excessum in frigiditate significant. *Idem de animo l. 1. tract. 3. c. 4.*

☞ *Vide 9. sequenti.*

COMMENDATIO.

Adversa rerum, vel secunda prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentinus.
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere:
Magnas, modicasque res etiam, parvas quoque
Agere volentem semper meditari decet.
Nam segniores omnes, inceptis novis,
Meditatio si rei gerendæ defuit. Periander per Auson. Et infrà

Nihil est, quod ampliorem curam postulet,
Quàm cogitare, quid gerendum sit, dehinc
Incogitantes Fors, non consilium regit.

Et si omnibus rebus, quæ agendæ nobis sunt, meditatio, contemplatioque subveniat, ut rectius, & facilius obtineantur, E
ac majori affectu in earum executionem feramur: Quid non faciet rerum cœlestium, ac earum, quas post hanc vitam suspiramus, jugis meditatio, ut ita promptiores ad eas consequendas re ddamur.

Est enim Meditatio juxta *Richard. de S. Victore l. 1. de Contempl.* perspicax, & liber animi contuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. Sive, studiosa mentis intentio circa aliquid investigandum diligenter insistens. Unde per ardua sæpe & aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Sunt igitur tam humanæ quàm res divinæ, aptum meditationis subjectum: illæ quidem, quatenus ad has gradum faciunt, teste Davide, Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. *Psal.* 148.

☞ *Poterit hic locus amplius illustrari ex aliis Locis. Puta de Contemplatione, Cogitatione videlicet: Tit. cogitatio Religiosa. Ubi plura illius exempla in medium adducuntur: quibus addimus sequentia.*

Exempla S. Scripturæ.

In quibus etiam egregius meditationis effectus significatur.

De Isaac testatum reliquit Moyses, quod spirituali hoc meditationum ferculo se reficere solitus fuerit, quando narrat F
eum egressum in agrum ad meditandum. *Genes. c.* 24. Septuaginta vertunt ἀδολεσχῆσαι, id est, ad se exercendum, sciliceet in exercitio spirituali meditationum. Hoc enim verbum magnam intentionem, animique studium, ac voluptatem significat, ait Procopius. Meditabatur ergo Isaac cùm res naturales, tum earundem auctorem. Ita Hebræi, Liranus, & Tostatus: nam ut Perjander ait, Vita sapientis est meditatio. Immò meditabatur juxta Ambros. res cœlestes, & divinas: unde vertit Chaldæus, Exierat ad orandum.

Hujuscemodi meditationum altitudine absorpti, quidam ita obstupescunt, ut sensibus corporis alienati (quod Græci Extasin vocant) mortui magis quàm vivi videantur. Sed interim animus cœlestium visione fruitur, divini luminis dulcedine pascitur, revelationes quandoque accipit Mysteriorum Dei.

Sic credimus Abraham, Isaac, Jacob, cum Deo collocutos, futurorum notitiam recepisse: Moysen etiam, præteritorum. Is enim mundum à Deo in principio creatum verè didicit, & omnibus palàm fecit. Sic præterea David versu oracula cecinisse, de quibus gloriatur, dicens: Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Sic denique Isaiam, G
Jeremiam, Ezechielem, cæterosque Prophetas omnia in spiritu hausisse, quæ quondam ad populum nunc prospera, nunc adversa vaticinantes effuderunt. Sempèr enim de Deo cogitantes, digni habiti sunt, qui cum Deo etiam sermones miscerent, & (ut ait Scriptura) facie ad faciem loquerentur. Latius contemplationis eorum typicæ visiones, revelationesque modò à nobis enarrari possent, nisi omnibus satis notæ forent, & ab iis, qui sub lege erant, ad eos, qui sub Evangelio fuerunt, nostra festinaret oratio.

De Simeone Petro *in Actis Apostolorum* traditum legimus, quod cùm in cœnaculum circa horam sextam oratum ascendisset, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & inde vas quatuor initiis submitti, immundis animalibus plenum, sed quæ à Deo mundata dicerentur. Ex quo significatum est, gentiles quoque, qui planè immundi errorum inquinatione erant, per fidem Evangelicæ veritatis mundandos, & Ecclesiæ gremio excipiendos esse, sicuti & Judæos. Quoniam, non est, inquit, personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. *Actor.* 10.

Paulus Apostolus raptus usque ad tertium cœlum, utrùm in corpore, an extra corpus, nescit, Deus scit, audivit arcana H
verba, quæ non licet homini loqui. Hinc demum illam prorupit vocem: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliatius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula, Amen. 2. Cor. 11.

Joannes Apostolus: Fui, inquit, in spiritu Dominica die, & audivi, & vidi; ea utique, quæ in Apocal. commemorat. Quorum præstantiam D. Hieronymus admirans, ait: Apocalypsis Joannis tot habet Sacramenta quot verba. Parum dixi, in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ, & pro merito voluminis laus omni inferior est. *Apocal.*

Apostolici quoque uti cœlum ipsum animo transcendentes,